



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

Liber CCII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.
LIBER CCII.

INNOCENTIUS X. PONTIF. MAX.
FERDIN. III. OCCID. IMPER.

§. I.

*Carolus I. Angliæ Rex a Scotis ac-
cepto sanguinis pretio Anglis
divenditur.*

Ex ipso Caroli I. Angliæ Regis tran-
situ ad Scotos inter hos & novæ
factionis Anglos jam prius natæ
simultates latius disseminabantur, ac
vix non in apertas belli flammæ erum-
pebant. Hi enim, cum democraticum
vel saltem Oligarchicum, uti supra me-
minimus, regimen in Angliam inve-
here molirentur, Regem Parlamento
Anglico tradi, eoque trucidato simul
Monarchiam everti petebant: Recla-
mabant Scoti, asserentes, quod ipsius
naturæ legibus, necnon Nationum &
Hospitii jure Regem, qui ultra in eo-
rum

*Jæger. Hist.
Eccl. l. 6.
c. 6. & l. 7.
cap. 5.
Salmon hist.
d' Angl. t. I.
pag. 251.*

Sæc. XVII. rum potestatem cessisset, Parlamen-
A. C. 1647. riis juratis ejus hostibus tradere pro-
 hiberentur: His vero reponerent Angli Independentes, quod Scotis in suum exercitum, utpote qui intra Angliam Anglorum stipendiis militat, Regem admittere, multo minus penes se, invito Parlamento, retinere minime licuerit: Hujus postulati iniquitatem probe perspectam habebant Presbyteriani Angli Scotis aliunde bene affecti, ne tamen magis alienæ genti, quam suis popularibus favere viderentur, sese multum opponere ausi non sunt. Nihilominus die vigesima octava Septembris utraque Curia seu Parlamentum habito Conventu decreverat, quod *de Regis Persona disponere vellent, prout eis bene visum fuerit*, hoc audito Londonus Scotiæ Cancellarius perorabat, demonstrans, quod tam Anglis, quam Scotis æquale jus esset disponendi de Rege, cum utriusque Regni Rex esset: postea explicabat hoc verbum *disponere*, vel enim agebat, eo intelligitur, quod Rex in carceres sit detrudendus, vel quod in plenam libertatem honorifice afferatur: jam Regis captivitate tumultus haud sedari ostendebat, necesse igitur esse, ut Rex sua fruatur libertate, proin in ejus sit arbitrio, aut in Scotiam ire, aut ad Angliæ Parlamen-
 tum

tum reverti: Hæc Cancellarii oratio Sæc. XVII. A. C. 1647.
 minus gratis auribus excipiebatur, eo-
 quod Regem nequaquam in vincula

esse conjiciendum, sed libertati, hono- Rapin Thoi-
 ras Hist.
 d' Angl. l. 21.
 pag. 595.
 ribus, & securitati reddendum persua-
 dere niteretur, ab hoc autem proposito
 alienissimi essent Scoti & Parlamentarii.

Ex hac igitur opinionum dissensione
 inter Parlamentarios, & Scotiæ De-
 putatos exorta est publica animorum
 averfio, quæ tamen utpote simulata
 paulopost privato pacto seu verius in-
 fami prodicione est sublata: Spondent
 igitur Scoti, quod Regem suum Par-
 lamento tradere vellent, si eis Angli
 quingenties librarum sterlingicarum
 millia daturi essent: ut vero horren-
 dam hanc perfidiam occultarent, has
 pecunias sibi ex promissis stipendiis mi-
 litaribus adhuc deberi obtendebant, ac
 studiose de pretio augendo disceptabant;
 tandem vero pro quadringentesies ster-
 lingicarum librarum millium pretio
 Regem suum exemplo Judæ Iscariotis,
 rebellibus Anglis, juratisque hostibus
 vendunt, eumque Parlamenti arbitrio re-
 linquunt & insuper nefando simulationis
 artificio hanc interponunt cautionem, ne
 quid noxæ Regi intentetur, sed primo
 suo tempore pristinæ dignitati, quin
 tamen ad libitum, & contra patrias
 leges imperare possit, redderetur, in-

Hist. Eccles. Tom. L. XI. Dd terim

See. XVII. A.C. 1647. terim intra aliquam Basilicam recipien-
dus, donec fieret animorum recon-
iliatio.

§. II.

*Idem Rex a Parlamentariis indigne
 habitus, & de carcere in carce-
 rem raptatus.*

*Rapin. l. c.
 Whitl. p. 236.*

Postquam igitur Anglos inter & Sco-
 tos de tradendo Rege convenerat,
 Parlamentum Regi per nuntium signifi-
 cari iussit, quod omnibus articulis sibi
 nuper propositis & *conventioni* illico sub-
 scriberet, necnon utrique Regno circa
 religionem exacte satisfaceret, secus,
 eo non consulto securitati utriusque
 Regni a Parlamento prospiceretur: Ad
 hæc Rex ita respondit: „paratus sum
 „omnia concedere, quæ ad verum po-
 „puli mei commodum conducunt, peto
 „tamen, ut mihi Londinum, vel ad
 „alium vicinum locum cum plena li-
 „bertate, securitate, & fide publica
 „venire liceat: consideretis velim, quod
 „Rex vester audiri postulet, si hæc
 „gratiam minimo ex meis subditis de-
 „negassem, pro tyranno me haberetis.
 „Attamen his Regis sui precibus non
 flectebatur rebellium durities; interim
 vero Scoti receptis ducenties librarum
 millibus, & centum aliis intra annum
 pro-

promissis ex Anglia in Scotiam cum ^{Sæc. XVII.} exercitu suo reversi sunt: postmodum ^{A. C. 1647.} ex Regis venditi pretio Edini Argylo Marchioni & Hamiltono Duci triginta librarum millia fuerunt persoluta, residuæ vero pecuniæ inter petulantiores Prædicantes distributæ. Divulgato enormi hoc scelere Scoti minus seditiosi popularium suorum perfidiam palam detestabantur, declarantes, quod hæc ipsa eorum negotiatio ipsos ad sacratæ Personæ, Regisque sui defensionem compelleret, ac Scotia Universo Orbi satisfacere cogeretur ob sacratissima Hospitalitatis jura tam perfide violata. His addebant, quod cunctæ Nationes Scotorum commercium horri habeturæ essent, cum nihil in terris magis execrandum, quam Scotorum stratum, quo sacratum Regis sui caput hostibus omnium maxime barbaris tradidissent. Attamen horum querelæ flocci habebantur ab utriusque Curia Senatoribus, ceterisque rebellibus Anglis, qui denegata Londinum accedendi facultate Regem Neocastri exceperunt, inde vero illum cum militum satellitio die vigesima sexta Februarii ad Holdenbiensem arcem in Northamptonensi Comitatu sitam deduxere, ubi splendidam quidem, sed arctam passus est custodiam; quantocius etiam duos ejusdem

Sæc. XVII dem Sacellanos, quos tamen iteratis
A. C. 1647. ad comitia scriptis sibi relinqui petie-
 rat, ab eo removerunt, iisque Mar-
 shallum & Caryllum Presbyterianos
 Prædicantes subrogarunt, demum non
 modo hosce Sacellanos, sed ceteros
 omnes, qui Regis unquam partibus
 studuisse vel suspecti erant, suis officiis
 amoverunt: Quamprimum vero Rex
 Parlamenti, quod ex duabus factioni-
 bus æquali furore in Regis excidium
 conjuratis compositum fuit, arbitrio e-
 rat relictus, Presbyteriani & Indepen-
 dentes antea capitales inimici nunc
 velut Anna & Caiphas unanimi suffra-
 gio adversus Regem in eandem senten-
 tiam ibant, ac die secunda Maij de-
 cretum promulgabant, in quo disertis
 verbis enuntiatum, quod nemo alius
 præter diabolum Anglis inspirare pos-
 set, ut Regis partes sequerentur, cum
 ipso miserationem haberent, aut illum
 contra conventionem protegerent, cum
 tamen egregii hi justitiæ vindices ad
 honestandam suam *conventionem* disertis
 verbis declarassent, quod Regis perso-
 nam tuendi studio hanc inter se socie-
 tatem iniissent.

§. III.

*Oliverii Cromwelli factio Regi, re-
 gnoque exitialis.*

Quan-

Quantumvis Presbyterianorum & Independentium consensus ad per-
 dendum Regem mire conspirarit; nihilominus Rege ad eas redacto angustias, ut nec his, nec illis ultra nocere posset, palam inter se ob potentiae æmulationem atrocioribus inimicitiae certaminibus dissidebant. Prævaluere numero in Parlamento Presbyteriani, vicissim vero penes Independentes exercitus arbitrium erat, proin hi ceteris magis formidandi. Nil ergo deliberatius habebant Presbyteriani, nisi ut copiae, utpote bello jam finito, a signis dimitterentur, relictis duntaxat militibus & Tribunis, quos sibi adiectos nossent: Horum consilium solita sua simulatione eluserat Oliverius Cronwellus, Vir ad quævis audenda projectus, atque ex omnium scelerum importunitate concretus, qui, licet Independentium Caput esset, rigidum tamen Presbyterianum sese simulabat, atque externa pietate eorum Concionibus assistens, illorum more sacri Codicis textus tertio quoque verbo immiscebat, atque ad fallendum aptissimus ipsimet Fairfaxio persuaserat, quod nil præter Dei gloriam promovere, ac Religionis, Regnique bonum procurare intendat, interim vero per suos Tribunos, quos in exercitu quamplurimos

Sæc. XVII.
 A. C. 1647.

*Rapin. l. 2x.
 Rusworth
 Vol. VI.
 pag. 447.*

D d 3

nume-

Sæc. XVII. numerabat, omnia tam dextere ad In-
A. C. 1647. dependentium favorem disposuit, ut
 nihil tamen disposuisse videretur, de-
 mum vero totum sensim exercitum
 Parlamento invisum reddebat, eoquod
 illud copias exauctorare, & exercitum
 contra Hibernos emittere intendisset.
 Animis igitur ita dispositis Mense Mar-
 tio exercitus libellum supplicem Curiae
 porrexit, in quo tribuni, nomine exercitus
 deploranda militum conditione, in quam
 a signis dimissi reducerentur, exposita,
 militare æs sibi exfolvi, nec ullum in-
 vitum contra Hibernos educi petebant.
 Hunc libellum Presbyteriani supprimi,
 ejusque Auctores tanquam pacis per-
 turbatores castigari jusserunt. Inde
 vero Independentes dissensionem inter
 exercitum & Parlamentum fovendi
 ansam arripuere, ac re ipsa milites, se
 tyrannide haud toleranda post effusum
 suorum sanguinem libello supplici suas
 querelas exponendi jure privari voci-
 ferabantur: multis dein ultro citroque
 disceptatis petierunt, ut ea res, cum
 omnium interesset, communi omnium
 sententia discuteretur, proin ex quali-
 bet legione quidam seligendi essent,
 qui ceterorum nomine opiniones suas
 Parlamento exhiberent. Annuere Par-
 lamentarii horum petito, non sine ma-
 ximo suorum damno, & Independen-
 tium

tium commodo; milites enim ex qua-
libet legione elegerant Deputatos, quos
Agitatores vocabant, Belliduces vero
& Tribuni specialem erexerant Curiam,
quæ ex Independentibus potissimam
partem composita speciem Reipublicæ
novæ præferebat, & sensim Parla-
menti auctoritatem, potentiamque æ-
quabat, ac demum omnino infringebat.

Sæc. XVII.
A. C. 1647.

§. IV.

*Rex Angliæ Holdenbio Newmarke-
tum e lecto suo abstractus.*

Obtenta Curiam militarem erigendi
facultate Independentes cuncta pro
libitu suo sub nomine exercitus agebant; eo
enim nomine prout e re visum erat, quan-
doque *Senatum bellicum*, aliquando *Agi-
tatorum Senatum*, & nonnunquam pri-
vatos *Agitatores* intelligebant, & va-
riæ hujus significationis beneficio quæ-
vis enormia scelera excusabant, inter
quæ haud postremum erat, quod qui-
dam nomine Joyeius, qui ex Sartore
Vexiliferum exhibuit, cum quinquaginta
Equitibus Holdenbium profectus,
sclopetum manu gestans concubia nocte
Regi in lecto suo jacenti significaverit,
quod nomine exercitus ipsum inde ab-
ducturus esset. Incassum Rex factam
securitatis pollicitationem obtendebat,

Rusworth
Vol. 6. p. 544.
& seqq.

Dd 4, frustra

Sæc. XVII. frustra sibi violentiam inferri, seque
A. C. 1647. invito aliorum rapi, & per Dunferlingum
 apud utramque Curiam de injuria ex-
 postulari petebat; parendum erat rebelli
 subdito, a quo ægre impetrare potuit,
 ut violenti raptus executio usque ad
 primam diei lucem differretur, qua et-
 iam Rex curru impositus, die deci-
 ma octava Junii Newmarketum dedu-
 ctus est. Paucis post diebus Fairfa-
 xius Anglici exercitus Dux datis ad
 utramque Curiam literis exponere au-
 debat, quod quidam milites Regem
 haud invitum, Holdenbio abstraxis-
 sent, ipse tamen, nec etiam exercitus
 inopini hujus raptus particeps esset:
 Quis vero crederet, hæc a paucis mi-
 litibus inscio Belliduce fuisse attentata?
 certe hujus perfidiæ auctores, execu-
 toresque in se ab innoxio Belliduce in-
 quiri timuissent, nisi hi se ab eo aliis-
 que consciis proteſtum iri scivissent.

Postquam vero Rex in exercitus po-
 testate erat, copias ubique ac Londi-
 num usque sequi coactus est: inde vero
 Parlamento, civibusque ingens incu-
 tiebatur terror, utque, exercitus pri-
 mum arrogatæ sibi auctoritatis speci-
 men daret, Parlamento varias leges
 præscripsit, novemque inferioris Cu-
 riæ Senatores tanquam perduellionis
 reos, alios tanquam auro corruptos,
 alios

alios velut minus legitime electos, re- Sæc. XVII.
 ipsa tamen Independentibus exosos, A. C. 1647.
 patria & officio suo amoveri, ac deni-
 que Parlamenti Sessiones finiri postula-
 vit. Ita nempe justo Dei judicio
 factum, ut qui Regi suo obedire detre-
 ctarunt, jam ad subditorum arbitrium
 ancillari cogerentur. Stupendum erat
 cernere, qualiter etiam Londinenses
 neglecto Parlamento ad exercitus Du-
 cem tanquam Judicem suum recurre-
 rent, necnon utriusque Curix Præsi-
 des, multique Senatores aufugere co-
 gerentur, & qui non ita pridem æquif-
 limas, quas Rex toties obtulerat, re-
 conciliationis conditiones proterve re-
 spuerant, nunc iniquissimis stipendiarii
 militis legibus abjecte parere juberentur:
 cum vero Parlamentarii adhuc-
 dum auctoritatis suæ partem servare
 intactam vellent, cum exercitus De-
 putatis transigere parabant, clam ve-
 ro sparsis in vulgus libellis conflataque
 conjuratione Londinensem populum
 contra exercitum irritare satagebant,
 quo comperto exercitus die decima
 septima Augusti arctius Londinum cin-
 xit, cunctaque urbis propugnacula recens
 erecta solo æquavit, ac demum inco-
 las, totumque Parlamentum, ut sese
 Agitatorum voluntati submitterent,
 adegit: inde vero inter Parlamentum

Sæc. XVII. & Exercitum, necnon inter ipsos Par-
 A. C. 1647. lamenti Senatores dissidia, & novæ
 factiones fuerunt exortæ, quarum be-
 neficio Carolus Rex pristinæ dignitatis,
 libertatisque recuperandæ spem con-
 ceperat; sed benigne enim Belliduces,
 militesque eum habebant, ac fortem
 ipsius deplorare visi, necnon Parlamenti
 severitatem exaggerantes, se nunquam
 arma posituros pollicebantur, nisi Rex
 restitueretur, tribus etiam ejusdem
 Sacellanis ac domesticis, quos Parla-
 mentum amoverat, Regis obsequio
 fungi permittebant: turmatim quoque
 Aulici ad Regem confluebant, & castra
 in Aulam migrasse videbantur, ipse
 met quoque Cronwellus exhaustis om-
 nibus versutissimæ simulationis fontibus
 omne studium, omne subjectionis offi-
 cium, inquietissimumque Regiam au-
 thoritatem redintegrandi desiderium
 Regi amplissimis verbis demonstrabat,
 re ipsa tamen vana spe eundem lactare
 satagebat, eo fine, ut illum a pacis
 cum Parlamento ineundæ proposito a-
 verteret, & Presbyterianis hujus unio-
 nis procurandæ gloriam eriperet. Rex
 vero, pro ea, qua pollebat, mentis
 integritate nec dolum nec fraudem
 suspicatus, quocunque Belliducibus li-
 buit, cum exercitu ad alias & alias
 Sedes migravit, & nunc in quadam urbe,
 nunc

nunc ruri pernoctare iussus, tandem Sæc. XVII.
 Cavershamium, inde vero ad Hamp- A. C. 1647.
 toncurtianas ædes abstractus est, ibi-
 dem suas proles (excepto Jacobo Prin-
 cipe, qui captus a Parlamento deti-
 nebatur) invisere, Reginæ Conjugi
 suæ literas dare & accipere permissus.
 Nobiles quoque sua obsequia Regi de-
 ferre certabant, ceteris tamen omni-
 bus crudelis Cronwellus, multiplicis
 & tortuosi ingenii Vir, maximam sub-
 jectionem, affectum, obsequendi stu-
 dium, cunctaque plenæ redintegratio-
 nis obstacula removendi voluntatem
 præferebat: Postquam vero Belliduces
 tam Parlamentum quam Londinensem
 urbem subegerant, tunc primum Rex
 se a Cronwello eique adhærentibus tur-
 piter delusum agnoverat; ab eo enim
 temporis articulo durius habebatur, nec
 ultra eidem pristina exhibebantur offi-
 cia, satellitesque, qui illum stipabant,
 ejus domesticis secreto cum illo con-
 ferendi copiam, nonnisi ægerrime con-
 cedebant, suosque oculos assidue in
 Regis, eumque invisentium verba, &
 actiones intentos habebant.

§. V.

*Carolus Rex ab exercitu profugus,
 ac perfide captus.*

Paulo-

Sæc. XVII. A. C. 1647. Paulopost Belliduces, *exercitus nomine*, Regi reconciliationis leges magis duras, quam Parlamentum Neocaltri præscripserat, clam Regi offerebant, eo fine, ut si Rex his conditionibus annueret, seipsum Regno abdicaret, si vero eas respueret, tanquam contumax apud vulgus habitus jure damnari posset. Præprimis vero Cronwellus Regem incitabat, ut hisce conditionibus adstipularetur, insuper Asburamo Regis clienti clandestina cum Scotis fœdera contra exercitum multa acerbitate exprobrabat, simulque se tam duras condiciones utpote a Presbyterianorum fastu & ferocia profectas detestari fingebat, interea vero ipse, alique Belliduces ceterorum Senatorum animos in Regem exacerbare nitebantur: ex altera autem parte Rex crebro ab amicis suis, ipsoque Huntingano Tribuno, cujus opera Cronwellus ad fallendum Regem utebatur, admonitus fuerat, ut suæ securitati prospiceret, eoquod Cronwellus, ceterique Belliduces fraude ac insidiis de ejus vita nefarie cogitarent: In his angustiis prehensus Rex clam aufugere statuit; die igitur vigesima prima Novembris solo Asburamo eum comitante totam noctem currendo insumpsit, ac tandem ad novam sylvam delatus, navis

vis beneficio Tichfeldiam pervenit, in-Sæc. XVII.
 de vero id suadentibus suis inimicis, A. C. 1647.
 ad Vectim Insulam appulit; ubi tamen
 ab Hammondo Gubernatore captus,
 Carisbrokenfi arci includebatur: mox
 autem Cronwellus utramque Curiam
 de Regis fuga, Hammondus vero de
 Rege capto certiozem reddidit. Pau-
 lōpost Angliæ Proceres, qui cum Parla-
 mento similtates habebant, Regem
 convenere, eique has quatuor condi-
 tiones proposuerunt, quas si inierit, de
 ceteris se tractaturos polliciti I. sine Re-
 gis consensu exercitus Parlamento plene
 substat II. integrum sit eidem confessum
 transferre, quocunq; libuerit III. om-
 nia contra Parlamentum decreta sint
 irrita. IV. Nobiles a Rege dignitatibus
 aucti, iis exuantur. Enimvero Rex
 aliqua indulserat, cum autem omnes
 has leges, salva sua auctoritate & con-
 scientia acceptare haud posset, disce-
 dentibus Deputatis in arctiorem custo-
 diam detruditur, arcentur ejus famuli,
 subrogantur ejus inimici, magis ad lu-
 dibrium, quam obsequium evocati, ac
 demum nemini Regem accedendi copia
 fit. Enimvero quidam facti indignitate
 commotus Regem suum e carcere eripere
 moliebatur, præmature autem detecto
 consilio ipsemet captus, ac capite ple-
 xus est. Denique instigante Cronwelo
 inferioris Curie Senatores unanimi
 suffra-

Sæc. XVII. suffragio decreverunt, quod deinceps
A. C. 1647. nullum omnino commercium cum Rege
 habere, nec ab eo literas vel Legatos
 recipere vellent, ne vero epistola vel
 nuntius clam irreperet, ad ipsas etiam
 cubiculi fenestras, militum excubiæ
 apponebantur, decreta perduellionis
 pœna in eos, qui vel literas a Rege
 acceperint, vel eas ad ipsum detulerint.

§. VI.

*Induciæ Maximiliani Bavarie Ele-
 ctoris cum Suecis.*

Maier Acta Hic idem annus consueta bellicæ for-
Pac. West. tunæ varietate fuit exactus, ac
t. 5. l. 34. prima quidem illius auspicia Cæsari
§. I. Et seq. magis secunda fluxere; die enim un-
Adzv. An- devigesima Januarii Weiffenburgum ob-
nal. Boic. fessum, die secunda Februarii unacum
l. 32. §. I. Sulzbergensi urbe expugnatum & Uran-
 gelius Suecorum Dux Lindaviensem
 obsidionem bimestrem solvere compul-
 sus est, Wilibaldo Comite de Wolfsegg
 urbem fortiter propugnante. Iram tamen
 suam Suecus in Brigantium effudit solo
 æquatum. Hunc vero Cæsareæ felici-
 tatis cursum brevi interceptit inopina
 Bavarorum a Cæsareis defectio; cum
 enim Maximilianus Bavarie Elector
 se Sueco - Gallorum potentiæ imparem
 esse cerneret, & a Cæsare in præsen-
 taneo

taneo devastandæ Bavarix periculo sat ^{Sæc. XVII.}
 validas suppetias haud expectare pos- ^{A. C. 1647.}
 set, aliunde vero eidem Galli, Sueci-
 que promississent, Palatinatus causam
 ex voto Osnabrugæ decisum iri, dum-
 modo suas copias a Cæsareis signis re-
 vocaret, hinc Maximilianus suis rebus
 privatim consulturus, suos Legatos
 Ulmam decrevit, ut hi primo univer-
 salem armorum cessationem a Cæsareis,
 foederatisque impetrare satagerent: ast
 omnem spem interciderant multa ob-
 stacula a diversis opposita, necnon du-
 riores condiciones a Cæsareis propo-
 sitæ, quas Maximilianus a Leopoldo
 Archiduce, & Galassio Cæsarei exer-
 citus Duce temperari postulabat; ve-
 rum incassum omnia; quapropter Ba-
 vari Oratores nomine Maximiliani &
 Coloniensis Electoris, die decima quarta
 Martii exclusis Cæsaris Oratoribus pri-
 vatas inducias cum Gallo-Suecis inire
 moliebantur, indignantibus Cæsareis,
 qui inconsulto Cæsare tractandi jus
 nullum esse Bavaro causati, quidquid
 decerneretur, ab Imperatore irritan-
 dum declararunt. Jam in eo res erat,
 ut Foederatorum Legati Ulma disce-
 derent, minitantes, se atrocissima quæ-
 que Bavaris illaturos. Igitur Maximi-
 lianus suorum subditorum, qui duode-
 triginta annorum bello exhausti erant,
 cala-

Sæc. XVII. calamitatem misertus, speciales inducias cum foederato hoste pepigit, his ferme conditionibus. I. Cessante omni hostili violentia, Bavaro ad sustentandum exercitum suum utraque Bavaria, cum utroque Palatinatu ad Rhenum toto induciarum tempore libera relinquatur. II. Gallo Hailbruna, Suecis vero Uberlinga & Meminga, Rhaina demum, Donawertha, Mindelheimium, & Wisensteiga, Wemdinga, & Heidenhemium Bavaro cedantur. III. Augusta Vindelicorum deducto omni extero præsidio in libertatem suam reponatur. IV. Bavarus copias suas a Cæsareano exercitu sevocet, neque deinceps, salva tamen fide atque obligatione, quam Cæsari atque Imperio debet, societatem armorum jungeret hostibus Gallix & Sueciæ. V. Idem præstent Elector & Coadjutor Coloniensis, si his induciis gaudere voluerint, atque ex oppidis ditionum suarum Cæsareana præsidia, ubi ea sunt, educi curent. Ubi vero id efficere nequiverint, permittant, ut vi atque armis a Suecis ejiciantur. Quæ tamen loca occupatores Dominis restituant, nisi forte aliter ratio belli ac conditio temporis exposcat. VI. Contributiones in ditionibus Electoris Coloniensis, quas Hassiæ Landgravia exigat,

git, Legati ad id quamprimum depu- Sæc. XVII.
tandi ad tolerabilem modum reducent. A. C. 1647.

VII. Si universales induciæ, aut pax communis concludatur, huic in omnibus obtemperabitur, atque ad eam promovendam omnes serio ac sedulo incumbent. VIII. Postmodum Constituta fuere insuper alia de securitate Commerciorum, de pœna delictorum militarium, de ratihabitionibus Principum, cautumque, ut, si Elector Coloniensis in has inducias non consentiat, nihilominus, quæ cum Electore Bavaro constitutæ sunt, salvæ atque illæsæ permaneant.

Hanc cum hoste transactionem ægerrimæ ferebat Imperator, qui etiam Jæger. Hist. Eccl. l. 7.
misso ad Electorem Justo Gebhardo il- c. 1. p. 732.
lum a defectione dehortabatur, demonstrans, exin utriusque domus oppressionem, ac Religionis Imperique excidium absdubio secuturum: insuper Cæsar Bavaro tam prompta pollicebatur auxilia, ut etsi hæreditariæ suæ Provinciæ exinde præsentaneo periculo exponerentur, nihilominus totum suum exercitum, si hostes Baviariam invadere molirentur, in opem submittere vellet: Verum hic Legatus sero nimis advenerat, induciarum legibus jam Galliæ Regis nomine ab Alexandro de Boule, & Marsilio de Cros-
Hist. Eccles. Tom. LXI. E e que,

Sæc. XVII. que, Bavari autem nomine a Raufchenberg, Kunitzio, & Scheffero, firmatis: quo comperto Cæsar, & Archidux Leopoldus quod Bavarus atrociori læsæ Majestatis crimine quam Palatinus se obstrinxisset, reputabant, uti testatur Jægerus.

§. VII.

Joannes de Werth, alique Bavari Belliduces ad Cæsarem deficientes.

Hæc præfestina defectio non modo Cæsarem, ac Leopoldum Archiducem male habebat, sed etiam Joannem de Werth, Gleenium, aliosque Bavarici exercitus Duces longe celeberrimos ad deserenda Bavari signa impellebat: Ceteris prior Gleenius, has inducias nec sibi nec Joanni de Werth manifestatas fuisse indignatus, ab exercitu in Belgium concesserat, hunc sequebantur Sporkius, Crucius, Gaschenitzius & Schockius, omnes primarii Ductores: Agmen duxerat Joannes de Werth, Vir ceteroquin primarum literarum ignarus, nulloque generis merito, sed duntaxat militari fortitudine clarus. Hunc ceterosque Tribunos unacum copiis Bavaris Cæsar, eo quod sibi & Imperio sacramento addictæ essent, promulgato edicto revocaverat.

Jam

Jamjam Maximiliano suspecta erat Werthii fides; haud enim eidem erat incognitum, quod hic Salmensem Comitum suscepti consilii sui interpretem non ita pridem Possonium ad Cæsarem misisset: ut vero Maximilianus Werthii animum penitus exploraret, eundem Monachium accersivit, qui tamen antea paratis responsis omnem de se suspicionem dextere amovens, Landshutum proficisci jubebatur, ut ibidem per duos Deputatos, quos Maximilianus eo decreturus esset, futuræ expeditionis mandata exciperet. Hic vero utrumque hunc Deputatum intercipi præcepit, atque exercitum injusto Maximiliano Vilshovium coegit, eo usus obtentu, ut Suecis superiorem Palatinatum invadentibus occurreret, re ipsa autem, ut copias Bavaricas unicum conjuratis Ductoribus in Cæsaris partes seduceret. Peropportune autem ambo Deputati structas eludere insidias, moxque de Werthii, qui jam die vigesima octava Junii Geisenhusium secesserat, conjuratione Maximilianum edocuerunt: quocirca Elector datis ad omnes Tribunos, militesque literis, ne quis avocanti Cæsari morem gereret, inhibuit, ac decem millium Imperialium præmium ei promisit, qui Werthium vivum, mortuumque sisteret:

Sæc. XVII.

A. C. 1647.

E e 2

Hic

Sæc. XVII. Hic vero cognita hac proſcriptione, A. C. 1647. furere ac extrema quævis Maximiliano, Bavarisque minitari cæpit, ſuiſque militibus Baviaræ direptionem imperavit: unde rapta jumenta, abacti greges, oppida, Pagi, & villæ paſſim ſpoliatae, Præfectique captivitatem lytro redimere coacti: demum vero Werthius trajecto Danubio unacum Sporckio Paſſavium profectus, atque a legionibus Bavaricis deſertus, ferme ſolus ad Cæſaris caſtra pervenit, præter ſpem remiſſius ab eodem exceptus.

§. VIII.

Suecorum res in Bohemia.

Adl. 1. c. Interim Sueci, Cæſarem Bavarorum
Brachel. hiſt. ope deſtitutum penitus opprimere
temp. 1. 6. ſtatuerunt; quo fine Urangelius recum
Calmet hiſt. Helvetiis compoſita, & tranſmiſſo rur-
Univ. t. 16. ſus Danubio in Franconiam movit, ac
 Sweinfurtum expugnavit, poſtea vero totam armorum vim in Bohemiam effudit. Enimvero Cæſar mortuo Gallatio Melandrum Comitem Holzapfelium eo cum validis copiis præmiſerat, quin imo ipſus ex Hungaria redux, Menſe Junio Budoviſium, ac inde Pilsnam contendit, Egram urbem a Suecorum obſidione liberaturus: verum obſeſſi jamjam intempetiſtiva facilitate

ſele

sese hosti dederant, quocirca Cæsar Sæc. XVII.
 recuperata Falckenavia arce, castra ab A. C. 1647.
 Urangelio relicta in Egræ civitatis con-
 spectu occupavit, ubi tamen die vige-
 sima Julii ingens vitæ, libertatisque
 periculum subiit; aliquot enim Sueco-
 rum legiones summo mane cæsis ex-
 cubiis ad ipsum Cæsar's tentorium tam
 prope penetrarunt, ut duo equites Sueci
 interfecto Satellite Imperatorem abs-
 dubio captum abduxissent, nisi a tem-
 pestive accurrentibus Tribunis alter eo-
 rum confossus, alter captus fuisset.
 Superato hoc discrimine Cæsar die
 octava Augusti Pilsnam versus recessit,
 ac decimo post die occupatis duobus
 belli tormentis Tribellam arcem expu-
 gnavit. Adspirante demum fortuna
 Suecos die vigesima secunda ejusdem
 Mensis adoritur, ac pugna ad duas pro-
 pe horas protracta, illos ingenti clade
 profligat, reportatis plusquam viginti
 signis equestribus, captisque equis qua-
 dringentis, postea occupato Tachavio
 ad Toppellam castra metatus est, ubi
 crebris certatum est velitationibus, ple-
 rumque tamen Cæsareo militi funestis:
 tandem vero Suecis e Bohemia & Mo-
 ravia pene exactis, atque in Misniam
 recedentibus, Cæsar motis castris Pra-
 gam contendit, Buchemium vero Co-
 mitem jussit, ut Iglaviam recuperaret,

Sæc. XVII. qua dedita Comes in Silesia Suecos
 A.C. 1647. laceffere tentabat, improspera tamen
 usus fortuna, cum hostis præter Wra-
 tislaviam, totum ferme Ducatum
 infedisset.

§. IX.

*Königsmarchii Sueci Ducatoris graf-
 sationes in Westphalia, & Co-
 loniensi ditione.*

Ad. Adam
Relat. Pac.
Westph. c. 21. Quantumvis Ferdinandus Coloniensis
 Septemvir, necnon Maximilianus
 Henricus ejus Coadjutor Bavarix Du-
 ces nuperis induciis accessissent, Sue-
 cisque vi pactorum duntaxat post deci-
 mam quartam Maij Cæsarea præsidia
 ex Coloniensibus propugnaculis protru-
 dere licuisset, nihilominus Königsmar-
 chius Suecorum Ductor, Westphalia
 foede devastata, pestem terroremque in
 Coloniensem & Osnabrugensem ditio-
 nem circumtulit, expugnatisque Wiltz-
 husio, Vechta, & Fürstenavia, Widen-
 burgum Osnabrugense propugnaculum
 deditione cepit, incenditque, demum
 promotis castris Paderbonam obsedit;
 cum vero Cæsareos ductore Lamboio
 in Frisia Orientali prospero Marte pu-
 gnare intelligeret, omissa Paderbornensi
 obsidione in eos movit, atque ad West-
 phalos usque repulit, ubi Meppenam,
 Haffe-

Hasselunam & Rhenam urbes, cum illas superare desperaret, injecto igne foedum in modum deformavit: interea vero Elector Coloniensis misso Theodoro Landsbergio de violatis induciarum pactis questus, Urangelium rogabat, quatenus Königsmarchio suas in Westphalia invasiones utpote conventioni adversas inhiberet: eo igitur ad aliam expeditionem evocato, interim Lambobius Vindecam, Marcodurum, Nidecam, & arcem Castoream deditione cepit.

§. X.

Induciis ab utroque Electore Bavaro & Coloniensi renuntiatum.

Tandem ambo Electores Bavarus & Coloniensis, quam fluxa sit Suecorum fides, fatali experimento didicerant; vix enim induciæ mutuo consensu firmabantur, cum eadem tam impune ac luculenter violarentur, acsi nunquam fuissent initæ: quocirca Maximilianus a Cæsare & Catholicis Imperii Ordinibus iterum iterumque rogatus, vigesima quarta Septembris die Suecis, quod pactis nuntium mittere vellet, declaravit, & coram Electorum, atque Imperii Principum Legatis has potissimum causas exposuit. I. Sueci contra datam fidem non modo in Mo-

Sæc. XVII. A. C. 1647. nasteriensi & Osnabrugensi Conventu pacem non promovent, sed Cæsarem obruendi spe capti, eandem novis semper postulatis Religioni ac rei politicæ perniciosissimis retardant. II. Antea concessa vel revocant, vel subdolis interpretationibus in perversum sensum detorquent. III. Æqua Catholicorum postulata rejiciunt, sua econtrario immodice exaggerant, eaque diuturni belli comminatione extorquere fatagunt. IV. Æquissimis pacis conditionibus audacter rejectis, bellum pro viribus protrahunt, donec Catholicos Ordines Cæsari addictos continenti serie, ac demum ipsummet Maximilianum oppressissent. V. Nuperrime etiam eundem, ejusque posteros ab avito primi inter *Principes* suffragii & subsellii in publicis Imperii Conventibus habendi jure spoliare, atque ex Imperii Principum Collegio excludere, nudamque *Electoralis* suffragii libertatem Bavaro relinquere, & illam Sessionis prærogativam postea cognatis coronæ Sueciæ asserere moliti sunt. Hisce Maximiliani querelis Sueciæ Legati tantopere sese offensos simularunt, ut non modo lingua & calamo, sed *infesto Equitatu in Bavariam* emittendo (*) & damnis,

ferro-

(*) Sie wollten den Churfürsten deshalb einen Ritt schenken.

ferroque hanc querendi licentiam se ult- Sæc. XVII-
 turos minitarentur: quinimo eo usque A. C. 1647-
 progressi sunt, ut oblatis induciis Cæ-
 sarem lætarent, quo expeditiores ad
 opprimendum Maximilianum essent:
 Nec minus solidæ erant Coloniensis
 Electoris querelæ, quarum præcipuæ
 erant. I. Königsmarckius contra di-
 sertam Ulmensis pacti fidem ditio-
 nes Colonienses invasit, devastavitque, Sue-
 cis Oratoribus ipsoque Urangelio, licet
 sæpius admonitis, nequiter dissimu-
 lantibus. II. Hassiæ Landgravia, uti
 tamen conventum erat, has inducias
 nondum firmavit, imo Casselenses
 Csnabrugæ palam professi sunt, quod
 ab armis cessare non vellent, sed om-
 nes Imperii Ordines, aut suarum par-
 tium amici, aut hostes esse deberent:
 Oxenstirnius quoque comminatus sit,
 rem eo esse deductam, ut cuncti sua arma
 aut Suecis jungerent, aut ipsi hostium
 loco haberentur. III. Sueci collectitia
 subsidia ex Vechtenfi, Wildeshusiana
 & Copenburgensi Dynastia contra pacta
 interceptere, & ex Pirmontensi ditio-
 ne & Paderbornensi præsidio consuetum
 tributum averterunt. Has ob causas
 ambo Electores die vigesima quarta
 Septembris Suecis per epistolas indu-
 ciarum cessationem denuntiarunt, &
 Maximilianus datis ad Mazarinum li-

Sæc. XVII. teris declaravit, quod illas cum Francis
 A. C. 1647. integras esse velit, eo quod hi illis fide-
 liores, magisque ad pacem proni essent:
 Postea mutuum inter se auxilium cum
 Cæsare innovavit, aliasque condiciones
 & pacta, priusquam suas copias junxe-
 rat, cum eodem iniit, quas inter præ-
 cipua erat, quod Maximilianus, ejus-
 que hæredes Palatinatum juxta Ferdi-
 nandi II. concessionem obtineret. Regi-
 na vero Sueciæ non modo ad Bavarum
 sed & Galliarum Regem, Reginam &
 Mazarinum Cardinalem literas dedit,
 de temere ruptis induciis acriter quæsta.

§. XI.

*Bavaro-Cæsareorum expeditiones con-
tra Suecos, Hassosque.*

*Barre Hist.
d'Allemagne
tom. 9.*

Postquam vero ambo exercitus denuo
 conjuncti erant, Cæsar hostem e
 Sueviæ finibus deturbare intentus, Me-
 mingam obsedit, eamque demum die vi-
 gesima quarta Novembris deditioe una-
 cum Wallensteiniana arce cepit: incas-
 sum autem Joannes Henricus Lapiere
 seu Petræus Boicipeditatus Dux Nörd-
 lingam tentabat, civibus Religionis
 Catholicæ odio potius urbis excidium,
 quam Cæsaris obsequium exoptantibus.
 Altero autem Boiorum agmine Cæsa-
 reis juncto, Melander in Bohemiam
 movit,

movit, Traunius vero Cæsareus Ductor Sæc. XVII.
 capta Fridewalda & Wolckersdorfensi A.C. 1647.
 arce in Fuldensi ditione Urangelium in-
 sequi statuit, qui tamen pugnæ aleam
 declinans, trajecto Visurgi Hæxariam
 recessit: interim Cæsar Regio-Werthium
 bidui obsidione subegit, ac Erfordiam,
 indeque trans Werram progressus, tan-
 tum Regioni terrorem intulit, ut cives
 & coloni magno numero Castellæ pro-
 fugerent: Tum vero Cæsareo - Bavari
 ad ipsas usque Castellenses portas late
 prædas egerunt, ac Melander Urange-
 lium infecutus Marpurgum expugnavit,
 non sine sui, ac Marchionis Badensis
 periculo; cum enim Sueci ex arce septem
 belli tormenta in domum, ubi habita-
 bant, exploderent, ambo graviter sauci-
 ciati sunt: unde Urbs militi diripienda
 relinquitur, ne hosti utilis esse posset,
 postea Cæsarei direpto Bettenhofio ab
 inferioris Hassiæ Ordinibus pecunias &
 annonam pro redimendo incendio po-
 stularunt: cum vero Landgravia vicif-
 sim cædes, flammæque finitimis Epi-
 scopatibus & Monasteriis minitaretur,
 ab incendio abstinerunt, universa ta-
 men Hassia crebris deprædationibus &
 Cæsarei exercitus hibernaculis relicta
 est, Bavaris in Franconia & Norim-
 bergensium finibus hyberna agentibus.
 Interim vero Galli misso per Turrenium
 tibicine

Sæc. XVII. A. C. 1647. tibicine Maximiliano Electori declararunt, quod induciis nuntium mitterent, eoquod libentius, uti scripserat Mazarinus, a Bavaricis armis damna, quam læfæ fidei calumniam a Suecis pati vellent.

§. XII.

Vinariensium defectio a Gallorum castris.

Adler. l. c.
Brachel. l. c.
pag. 336.
Barre Hist.
d' Allemagn.
tom. 9.

Igitur Turrenius Vice- Comes, qui Gallo- Vinariensibus copiis præerat, detritos exercitus restaurare, novumque militem conscribere parabat, ac præprimis Hæchstam ad Mænum, Gernsheimium & Darmstadium nullo negotio subegit, & demum exhausta Moguntina regione, trajectoque Rheno ad usque Tabernas Alfatix penetravit, inde per Austrasiam in Belgium moturus. Vix eo pervenerat, cum undecim Vinariensium legiones Turrenii imperium pertæsæ, ob militaris stipendii defectum Gallos ejurare parabant; quare Turrenius preces, pecunias, amplaque promissa pro impedienda horum defectione impendit, ac ipsemet trans Rhenum profectus, ad hæc legiones ire constituit: Verum Vinarienses ipsum Turrenii conspectum averfati, eorum, quos Parisios ad Regem & Mazarinum

Cardi-

Cardinalem pro excusanda sua secessio- Sæc. XVII.
 ne ablegassent, reditum se præstolatu- A. C. 1647.
 ros responderunt: interim vero direptis
 variis oppidis Schweinfurtum versus
 contenderunt, sua obsequia deferentes
 Königsmarchio, qui eos etiam duplici
 stipendio placatos, suis copiis adjun-
 xit: Turrenius vero transmissis Rheno
 arcem Falckensteinianam & Durstei-
 niam subegit, adversa fortuna ibidem
 Cæsareos acrius insectante: Tandem
 vero Electorem Moguntinum compulit,
 ut quinquaginta florenorum millium
 pretio, & Steinheimii ac Hæchstæ ces-
 sione Gallici præsidii vexationem redi-
 mere quæreret, neutrarum partium
 esse permissus.

§. XIII.

*Monasteriensis & Osnabrugensis Con-
 ventus continuatio.*

Variis armorum successus pacis ne- Bougeart
 gotiam in Monasteriensi, & Osn- Hist. bell.
 brugano Conventu quandoque expedi- tric. p. 3.
 tius, mox vero difficiliter reddebat; lib. 7.
 comperta enim Bavari defectione Pro- Mair. acta
 testantes Cæsarem ad quævis eorum pac. Westph.
 postulata condescensurum sperabant, tom. 4. l. 25.
 vociferantes: *aut nunc, aut nunquam,* & seqq.
jecta est alea: habemus opus concatenatum
cum Suecis: in horum armis religionis no-
stræ

Sæc. XVII *stræ conservationem & incrementum quærere*
A. C. 1647 *debemus*: cognita autem Bavari reconcili-
 atione nonnihil mitius agebant: agitata quoque concordia Hispanos inter & Fœderatos Belgii Ordines terreat Gallos, qui tamen suarum partium haud immemores, eo Deputatos inclinabant, ut novum hoc fœdus irritum declararent, nisi prius Gallis plene satisfactum, belloque parta eis tuto asserta essent. Insuper Brandenburgicus Elector magna animi contentione obstabat, ne tota Pomerania Suecis relinqueretur, nisi vicissim Magdeburgensis, Halberstadiensis, Hildesimensis, & Osnabruganus, ac Mindensis Episcopatus unacum Schamburgensi Comitatu Brandenburgicis cederentur: quoniam vero hæc ditioes aliis Principibus jam donatæ aut promissæ fuissent, ex hac ipsa Ecclesiarum nundinatione gravior orta est difficultas, quæ tamen sopita est ea lege, ut Sueci in hanc cessionem non consentirent, nisi ipsis de ducenties mille Imperialibus in compensationem anterioris Pomeraniæ a Cæsareis idonee careretur. Disceptabatur etiam de octavo Electoratu in Palatinam Domum invehendo, quem unacum Palatinatu & Archidapiferi dignitate primoque inter Septemviros loco Galli Bavaro assertum volebant, nec etiam adversabatur Saxo-

Saxoniae Elector, dummodo Bavarus Sæc. XVII.
 Palatinis occupata in Palatinatu infe- A. C. 1647.
 riore redderet: Brandenburgicus vero
 Palatinos plene restitui petebat: Sueci
 quoque pro militiæ suæ officiis Germa-
 niæ præstitis vicies centena Imperia-
 lium millia a Catholicis solvenda po-
 stularunt. Demum Mense Junio Pro-
 testantium Oratores Monasterium sese
 conferebant, ubi de Suecorum, Gallo-
 rumque satisfactione, necnon de am-
 nestia, aliisque causis acriter disce-
 ptatum est.

§. XIV.

*Variae Consultationes circa Religio-
 nis gravamina.*

Nondum Monasterii omnes articuli Adam.
 circa Religionum gravamina erant Adam. ve-
 plene decisi; quocirca ad Protestan- lat. Hist.
 tium petitionem die quarta Januarii Pac. Westph.
 Volmarus, & nona ejusdem Mensis c. 25. §. 7.
 die Trautmansdorffius Cæsaris Legati Et seqq.
 Osnabrugam reversi sunt: accesserant
 pariter Catholici, & Osnabrugensis
 Episcopus, Avallius Franciæ Legatus
 & Fœderati Belgii Oratores, ut suo
 quisque commodo prospiceret, vel
 damnum averteret. Præprimis verò
 Salvius Sueciæ Legatus Protestantium
 nomine scriptum obtulit, in quo peti-
 tum

Sæc. XVII
 A. C. 1647

tum. I. Ut terminus a quo restitutionis in Ecclesiasticis præfigatur dies prima Januarii anni post Christum natum millesimi sexcentefimi vigesimi quarti. II. Augustæ, Biberaci, Kaufburæ & Donawertæ sit inter Senatores ex utraque Religione æqualis numerus. III. Protestantes Aquisgrani liberum Religionis exercitium, aliorumque jurium usum habeant. IV. Donawerta statui, in quo anno hujus sæculi septimo fuit, reddatur. V. Episcopatus Osnabrugensis, etsi jam pridem in potestate Catholicorum fuisset, Protestantibus cedatur. VI. Reliqua bona Ecclesiastica in perpetuum illis, penes quos præfato anno erant, relinquuntur. VII. Salvi sint Prælati & Clericis religionem mutantibus percepti fructus. VIII. Protestantes, qui immediata beneficia Ecclesiastica possident, Sessionem & suffragium in Comitibus more ante mutatam religionem usitato habeant. IX. Catholici Canonici Protestantibus mixti, si præfato anno in suis Ecclesiis publicum exercitium non habuerunt, nec deinceps habeant. X. Circa mediata Bona questio, an ante vel post transactionem Passaviensem fuerint usurpata, vel intra vel extra territorium sita sint, unacum litibus inductis aboleatur. XI. Si autem

autem dicto anno Catholici hæc bona Sæc. XVII.
A. C. 1647.
 possederint, tunc Ordinibus Protestan-
 tibus, in quorum territorio ea sita sunt,
 reservetur jus præsentandi, visitandi,
 hospitandi, servitia, & operas impo-
 nendi &c. XII. Egra, omnesque Sta-
 tus immediati aliis oppignorati semet
 reluendi & in libertatem asserendi jus
 habeant, bona vero de Patrimonio Im-
 perii oppignorata non reluantur. XIII.
 Circa tertii generis bona, aliisque Sta-
 tibus Imperii oppignorata, si obtenta
 coram competente Judice reuisionis
 sententia ad pristinum Dominum redie-
 rint, hic jus restaurandi avitam reli-
 gionem non habeat. XIV. Jura reli-
 gionem concernentia etiam liberis Im-
 perii civitatibus & Nobilibus æque ac
 Electoribus & Principibus concedan-
 tur. XV. Statibus Municipalibus exer-
 citium Augustanæ Confessionis, ubi
 præfato anno fuit, pari cum Imme-
 diatis Imperii Statibus jure plene re-
 stituatur. XVI. Silesitis, Bohemis,
 Moravis, omnibusque Austriæ subdi-
 tis Protestantibus, imò in toto Imperio
 liberum sit sectæ exercitium, nullusque
 emigrare cogatur, & ejecti restituan-
 tur. XVII. Jesuitæ Wratislavia pro-
 scribantur, XVIII. Omnes Protestan-
 tes, etsi nec privatum nec publicum
 sectæ exercitium habuissent, si intra

Sæc. XVII. A. C. 1647. semestre a conclusa pace apud Magi-
 stratum sua nomina professi fuerint, to-
 lerentur, privatusque religionis usus
 concedatur, necnon prædicantes ad se
 vocandi, liberos suos ad Lutheranas
 scholas mittendi, & domi ejusmodi
 Præceptores alendi facultas sit. XIX.
 Catholici subditis suis exercitium Lu-
 theranum, connubia, privilegia &c.
 non prohibeant, sed omnia inter illos
 sint communia. XX. Subditis Catho-
 licis post semestre ad Lutheranam se-
 ctam deficientibus aut per connubia in
 Catholicorum Magistratum ditiones
 translatis decennii terminus ad emi-
 grandum, & quidem post factam tri-
 nam denuntiationem detur. XXI.
 Etsi Vasallus qualitatem feudi immu-
 tare non permittatur, nec etiam no-
 vam ab ea, quæ tempore concessi be-
 neficii erat, religionem invito Domino
 directo inducere valeat, si tamen quid
 ejusmodi a Protestantibus factum sit,
 in integrum restituatur. XXII. Irrita
 sint Religionum exercitia titulo juris-
 dictionis criminalis introducta aut pro-
 hibita. XXIII. Reditus, Census, de-
 cimæ ex bonis, quæ post pacem Reli-
 giosam, ejectis Catholicis, a Prote-
 stantibus fuerunt occupata, etsi ex ex
 Catholicorum territoriis proveniant,
 modernis Possessoribus Lutheranis pen-
 dantur.

dantur. XXIV. Jura Protectionis, Ad-Sæc. XVII. A. C. 1647.
 vocatiæ, Hospitationis &c. in Beneficiis Ecclesiasticis Catholicorum usurpata, sive intra sive extra territorium Protestantium sita essent, rata sint. XXV. Catholici nullum jus Diæcesanum, vel jurisdictionem Ecclesiasticam contra Protestantes subditos exerceant. XXVI. Cognitio, quis sit Augustanæ Confessioni addictus, solis Protestantibus competat. XXVII. Dubia circa pacem Religiosam, vel Westphalicam, si res ad paria vota devenerit, inter utriusque Religionis Proceres amicabiliter componantur. XXVIII. Judicium Camerale Spira Erfordiam, Egram vel Halberstadium transferatur, constitutis pari numero utriusque Religionis Assessores. XXIX. Statibus Imperii liberum sit in Judicio Aulico, vel in Camera Imperiali litem excipere. XXX. Judicium Rotwilense, Suevicum, Hagenoense &c. abrogetur.

§. XV.

Catholicorum querelæ contra hæc Protestantium postulata.

Tam acerbis Protestantium postulatis vehementer commovebantur Catholici, palam questi, quo plura hucusque a se concessa fuissent, ea plura

Maiern. Act. Pac. Westph. t. 4. lib. 25.

Ff 2 a Pro-

Sæc. XVII. a Protestantibus postulari, & quidem
A. C. 1647. talia, quibus concessis non modo Re-
 ligio Catholica, sed etiam totum Im-
 perium, domusque Austriaca penitus
 everteretur: Cæsarei tamen Legati ex-
 tremum pacis desiderium præferentes,
 acerbiter postulatorum non nihil tem-
 perare nitebantur, indulgentes. I. Ut
 quidem æqualitas inter utriusque Re-
 ligionis Ordines sit, non alia tamen,
 quam quæ præsentis transactioni con-
 sentanea foret. II. Protestantes Epi-
 scopi &c. Sessionis & suffragii jus lo-
 cum & Ordinem inter Ecclesiasticos &
 Laicos Principes *medium* habeant. III.
 Executio jurium Papalium circa An-
 natas &c. in Episcopatus Protestanti-
 bus relictos armis non urgeatur. IV.
 Augustæ Lutheranis petita concedan-
 tur, ita tamen, ut in Templis, quæ
 Catholicis eripuerunt, solo choro pro
 his exempto, suæ sectæ exercitium re-
 tineant. V. Quærelæ circa civitates
 Biberacum &c. per Deputatos Cæsa-
 reos ex utraque religione desumptos
 decidantur. VI. Quinquenni terminus
 emigrare iussis præfigatur, ex justa ta-
 men causa secundus ac tertius adda-
 tur. VII. A causis ad jurisdictionem
 Ecclesiasticam spectantibus excipiantur
 duntaxat causæ matrimoniales, si reus
 est Catholicus. VIII. Cognitio, quis
 sit

fit Augustanæ Confessionis, ad Impera- Sæc. XVII.
 torem, & paciscentes Imperii Status A. C. 1647.
 pertineat. Plura alia Suecis aut con-
 cessa, aut temperata fuere, quin Pro-
 testantes ab exitiosis suis postulatis
 quicquam remitterent. Detestabatur
 Fabius Sedis Apostolicæ Nuntius hanc
 Protestantium duritiem, suadebatque
 Catholicis, ut Osnabruga Monasterium
 redirent, ne ex eorum præsentia con-
 sensus inferretur: Cæsarei quoque Ora-
 tores Suecis & Protestantibus gravi
 rationum pondere exprobrabant, quod,
 etsi omnia ipsis tam circa Politica, quam
 Ecclesiastica pro Religionis suæ firmi-
 tate, a Catholicis fuissent indulta, ni-
 hilominus novis identidem postulatis
 ipsam quoque Catholicam fidem elimi-
 nare molirentur, ac contra omne fas
 Catholicos Principes, in quos ipsi nul-
 lum jus haberent, cogere velint, ut in
 propriis suis ditionibus Protestantes
 tolerent, suæque sectæ usum eis per-
 mittant, cum tamen, si ipsi mutuam
 inter utriusque Religionis Ordines æ-
 qualitatem desiderant, iniquum esset,
 ut Catholicos duntaxat tam acerbe di-
 vexare præsumerent, sibi que liberum
 Religionis suæ exercitium in Bohemia,
 Silesia ceterisque hæreditariis Austria-
 cæ domus regionibus, imo in omnibus
 Germaniæ Provinciis asseri peterent,

Sæc. XVII. luculenterque suorum armorum felicitate ad iniquissima postulata abuti non abhorrent; qua enim fronte, addebant Legati, Protestantes, postquam ipsis cuncta, quæ circa sectæ suæ usum pro ditionibus sibi subjectis postularunt, indulta fuere, Cæsari leges præscribere audent, juxta quas ipse suos subditos & incolas in propriis suis Provinciis regere teneretur? Jamjam Protestantibus, seu immediatis Ordinibus post acrem Catholicorum oppositionem indultum est, ut publicum Religionis, quam profitentur, exercitium inveherent, oppositæ autem Religionis cultores venditis bonis suis ad emigrandum compellere possent: qua ergo ratione Protestantes Cæsari idem jus, quod cuilibet infimo Imperii statui concessum, Imperatori denegare audent, cum tamen Bohemi & Silesii Protestantes propter suam rebellionem, motasque in Cæsarem turbas sectæ suæ usum per Majestatis literas indultum, armisque extortum amisissent. Adeo luculenta erat hujus postulati iniquitas, ut suffragantibus Avausio & Catholicis, Sueci contenti essent, ut Brigæ, Lignicii, Münsterbergæ, & Olsnæ Duces necnon Wratislavienses Religionis exercitio, prout ante bellum invaluit, potirentur, & Protestantes extra mænia

mænia Glogaviæ, Schweidnizii, & Sæc. XVII.
 Jauravii tria Tempia erigere permit- A. C. 1647.
 terentur. Ampliora Suecis concedere
 denegabant etiam Galli, se non con-
 cessuros professi, ut Protestantes ultra
 id, quod in caussa Religionis indultum
 jamjam fuisset, plura extorquerent:
 Verum Sueci ad hæc audacter respon-
 derunt, *se Gallorum subsidiis non egere,*
sat enim nunc se virium habere, quibus
cuncta, quæ concepissent, exequi possent:
 quinimo Sueci palam declararunt, Gal-
 los & præcipue Avausium Franciæ Ora-
 torem promississe, se non impedituros,
 quo minus Sueci omnia, quæ Augu-
 stanæ Confessionis statibus ad sui con-
 servationem, & Religionis securitatem
 necessaria videri possent, consequeren-
 tur: Enimvero Gallorum verba & pa-
 trocinia suo semper caruere effectū, eo-
 quod hi Protestantibus & Suecis resi-
 stere nec vellent, nec possent, & cum
 insuper Cæsarei Oratores nimia festina-
 tione, facilitate & præcipitantia cum
 Suecis, Brandenburgicis, Luneburgi-
 cis, aliisque Protestantibus agerent,
 atque insciis Catholicis, quorum ta-
 men maxime intererat, nimium in-
 tempestivo pacis maturandæ studio plu-
 rima indulgissent, hinc integri Episco-
 patus, Principatus, Dominia, Cæno-
 bia, & bona Ecclesiastica in Catholicæ

Sæc. XVII. Religionis hostes fuerunt translata, at-
A. C. 1647. que insuperhabita Nuntii Apostolici,
 necnon Osnabrugensis Episcopi, alio-
 rumque oppositione, *cum Episcopatibus*
& cœnobiis, uti non nemo tunc Osnabrugæ scribebat, *ludebatur non aliter,*
quam ut pueri temporis fallendi gratia cum
nucibus ludunt: pari etiam facilitate Salvius Sueciæ Orator Hassiæ Landgraviæ
 ex Moguntino, Paderbornensi, Colo-
 niensi, & Mindano Episcopatibus, nec-
 non ex Abbatia Fuldensi in satisfactio-
 nem opima bona adjudicari, pro sum-
 mo imperio, ac libero suo arbitratu
 voluit, incassum ipso Avausio recla-
 mante, & Cæsareis maximum rei
 Catholicæ præjudicium obtendentibus.

§. XVI.

*Alia adhuc in utroque Conventu
 agitata.*

Adam. Rel.
l. 6.
Mayern.
Ab. tom. 4.
lib. 30.

Hærebant aliquamdiu Osnabrugæ
 utriusque partis Oratores, quinta-
 men de propositis articulis convenire
 possent, quocirca Sueci reliquos arti-
 culos ad Monasteriensem Conventum
 rejecerunt, se proxime eo etiam pro-
 fecturos polliciti. Tum vero hucusque
 agitata in tabulas velut publicæ con-
 ventionis instrumenta redigebantur,
 quæ a Cæsareis Legatis die decima
 nona

nona Junii ad Catholicorum Ordinum Sæc. XVII.
 Legatos, facta assentiendi vel dissen- A. C. 1647.
 tiendi copia, fuere relata: Quamvis vero
 Cæsarei ea, quæ in Catholicorum præ-
 judicium concessissent, prætexta tempo-
 rum iniquitate, calamitosa Cæsaris ab
 omnibus derelicti conditione, & resi-
 dua adhuc Ecclesiasticorum bona a-
 mittendi periculo, excusare niterentur,
 nihilominus Catholici Oratores die vi-
 gesima secunda Junii præfatum instru-
 mentum suo examini, suorumque
 Principum judicio subjici postularunt,
 præprimis questi, quod Cæsarei ne-
 glectis Catholicorum consiliis quam-
 plurima ipsis summe noxia indulgissent:
 Eapropter amnestiam ad præsentem mo-
 tus bellicos restrinxere, & deficiente
 linea Bavarica octavum Electoratum
 ad lineam Neoburgicam devolvi, Ana-
 baptistas ceterosque sectarios ab hac
 pace excludi, Duci Wirtembergico bona
 Ecclesiastica adimi, æqualitatem inter
 utriusque Religionis Ordines ad pa-
 cem Passaviensem & Religiosam re-
 stringi, ac Sedi Apostolicæ sua jura &
 Cæsari primas preces reservari petie-
 runt. Ægre insuper ferebant, quod
 Protestantes vocentur *Archi - aut Epi-*
scopi, & Prædicantes nominentur *Verbi*
Divini Ministri, ac denique Catholicis
 jus reformandi omnino illæsum, emi-
 gratio-

Sæc. XVII. A. C. 1647. grationem necessariam, autonomiam plene explosam, Hildesienſia pacta, reſervatum Eccleſiaſticum, tranſactiones & res judicatas circa gravamina Eccleſiaſtica ſalvas voluere, pluraque alia aut caſtigarunt, aut omnino mutarunt. Præterea illud instrumentum, quod Cæſarei Gallis exhibuere, haud magis eiſdem acceptum gratumque erat, inde ergo acris utrinque orta eſt diſceptatio, quæ non parum augebatur, dum de Lotharingiæ Ducis & Palatinorum cauſſa agitatum. Præterea Sueci, poſtquam Gallos ad cuncta eorum poſtulata tam faciles experiebantur, audaciores facti, non modo cunctos obſectam exules, in Regna & hæreditarias Cæſaris Provincias reduci, ſed etiam omnibus Religionis libertatem concedi petebant: Brandenburgicus vero Elector Calviniſtas quoque ad huius pacis beneficium admitti poſtulabat, cui ſicut & Palatino & Haſſiæ Landgravio Sueci obſtrepere non audebant, illorum favorem in rem ſuam aucupari intenti, etſi ſæpius ipſimet Sueci profeſſi eſſent, quod nequaquam Calviniſtas ad parem cum Lutheranis conditionem evehere intenderent: reclamant vehementius Catholici, ac præcipue Maximilianus Elector, qui comperto, quod Volmarus Cæſaris Legatus,

tus, Monachii proponente Electore Sæc. XVII.
 horum admissionem fuisse promotam A. C. 1647.
 dixisset, ira commotus in hæc verba
 prorupit: *Sapient suo damno Volmarus,*
qui adeo calumniose de Catholicis Principi-
bus loquitur &c. nihilominus Lutherani
 & Sueci, cum sese eis nemo oppone-
 ret, rem eo deduxerunt, ut Calvinistæ
 ad hujus pacis jura admitterentur, ne-
 gata tamen subditos reformandi licen-
 tia, si quis Princeps Calvinianus di-
 tionem Lutheranam vel vicissim obti-
 neat: Hoc beneficium Lutherani asse-
 ruerunt Calvinistis, quia hi indissolu-
 bili virium nexu ad opprimendos Ca-
 tholicos semper sua arma & consilia
 junxissent: *nullo enim, ait Adamus,*
in congressu publico tot in unum de oppri-
mentis in Imperio Catholicis, quam in
Westphalicis tractatibus collata fuere consi-
lia; antea enim deerat opportunitas,
quia plerumque superior Catholicorum po-
tentia, nullo tot exterorum impetu fracta,
superari a solis Protestantibus non potuit.
 Denique Galli Suecique Oratores pro
 summo imperio Landgraviæ præcipue
 ex bonis Ecclesiasticis satisfieri postu-
 labant, minitantes, se vi & armis Land-
 graviæ postulata profecuturos: ita nem-
 pe in hoc negotio, sicut ferme in cete-
 ris omnibus de corio, ut ajunt, Ca-
 tholicorum agebatur.

§. XVII.

Sæc. XVII.
A. C. 1647.

§. XVII.

Maximilianus Trautmansdorffius Cæsaris Legatus Monasterio Viennam revocatus.

*Maiern
Acta pac.
Westph. t. 4.
l. 31. p. 703.
Bougeant
Hist. Bell.
tric. p. 3.
lib. 8.*

Ceterum Maximilianus Trautmansdorffius Comes, quem Cæsar plena agendi facultate instructum ad pacis negotiationem Monasterium ablegaverat, iniquissimo ferebat animo, quod Ordinum Deputati pacis instrumentum examinandi, eaque, quæ ipsis insciis Osnabrugæ fuerant decreta, corrigendi, mutandique jus sibi arrogarint: Eapropter ira commotior, se abrupta negotiatione Monasterio Viennam reversurum minitabatur: Quoniam vero hujus Legati præsentia Gallis, Suecis, cunctisque Protestantibus oppido proficua esset, hinc omnem movebant lapidem, ut hujus Legati discessum præpedirent: E contrario Papæ Nuntius, Osnabrugensis Episcopus & Catholicorum plerique Religionis Zelo inducti ipsius absentiam non semel exoptabant, eumque de immoderata indulgentia, ac Suecis & Protestantibus complacendi studio apud Cæsarem deferebant: Hispani quoque, quibus minus, quam Gallis propensus credebatur, Trautmansdorffii ruinam promovere certabant,

bant, ipsius Imperatricis & Patris Pe- Sæc. XVII.
 tri Chirogæ Capuccini opera utentes: A. C. 1647.
 Præterea Patres Joannes Mulmanus
 & Cælerus Jesuitæ, qui Monasterii a-
 gebant, crebras ad Cæsaris Confessa-
 rium literas dabant, in quibus hunc
 Legatum, quem *Æsculapium* vocitabant,
 de præpostero pacem eblandiendi stu-
 dio acrius carpsere. Leguntur in una
 ex his epistolis die duodecima Julii Mo-
 nasterio data, hæc verba: *Æsculapius*
manere iterum statuit, quia Protestantes
novam illi spem injecere, ut hominem tam
sibi charum detineant: mitto Reverentiæ
vestræ novum scriptum: Vehiculum &c.
dignum est lectu, sed estne inter vos aliquis,
qui posthac talia Cæsari legenda offerre au-
deat: incumbit hoc onus Reverentiæ vestræ
(scilicet Cæsaris Confessario) ut con-
scientiæ Imperatoris consulatur . . . Huic
 epistolæ Pater Godefridus Cælerus hæc
 subjunxit: *tametsi conscientiam ipsi Traut-*
mandorffio moverim, pergit quotidie no-
vis largitionibus pacem eblandiri, remit-
tunt illi aliquid in uno alterove puncto, sed
in substantialibus nihil. Quæso reverentiæ
vestra scribat mihi mentem & sensum Cæ-
saris de projecto pacis. Præterea hæc ac-
 culationes ad veritatem vel maxime
 accedere videbantur, eoquod Traut-
 mandorffius adhuc juvenis Protestan-
 tiam sectæ addictus fuisset, proin cuncta
 in

Sæc. XVI. in horum favorem indulta, ex veteri
 A. C. 1647 Comitibus propensione in eos fuisse enata,
 facile credebantur. Hinc Cæsar, quan-
 tumvis de illius fidelitate, rectaque a-
 gendi ratione persuasus esset, datis ta-
 men ad eundem literis illum de cunctis
 machinationibus in Aula contra ipsum
 excogitatis certiore reddidit, ac Vien-
 nam reverti iussit: Comes igitur sua
 innocentia tutus, mox Imperatoris
 mandato morem gessit, ac Nassoviensi
 Comiti & Volmaro, necnon Lamber-
 gio Comiti & Cranio, tam Monasterii
 quam Osnabrugæ pacis perficiendæ cu-
 ram reliquit. Interim vero Volmarus
 nullum non movit lapidem, ut Catho-
 licos ad amplectendum Trautmansdorffii
 tractatum induceret, hancque in rem
 eisdem præsentem iniquissimi temporis
 necessitatem, miserrimum anni 1618.
 statum, ubi in Austria, Bohemia, Si-
 lesia, Westphalia, Palatinatu, atque
 in plurimis Episcopatibus, & ditioni-
 bus hæresis impune grassabatur, ob
 oculos posuit. Insuper Maximilianus
 Baviaræ Elector datis die decima sexta,
 & vigesima secunda Octobris ad Cæsa-
 rem literis eundem rogabat, quatenus
 insuper habitis Catholicorum nonnullo-
 rum oppositionibus contra Trautmans-
 dorffianum Instrumentum motis, pa-
 cem accedente præcipuorum quorum-
 dam

dam Catholicorum assensu cum Gallis, Sæc. XVII. A. C. 1647.
 Suecis, ceterisque fœderatis ineat, relicta tamen ceteris aut pacem amplectendi, aut bellum prosequendi facultate. Hisee monitis Cæsar obsecundans, suis Legatis præcepit, ut in conficienda pace properarent, nec plurimum, utpote minus potentum suffragia hac in re attenderent. E contrario autem Catholici, qui Trautmansdorfianæ transactioni adversabantur, eam conscientiæ repugnare, ac religioni, rei que Catholicæ plurimum obesse Cæsari exponebant, suadentes, ut hoc periculolissimo tempore Pontificium imploraret auxilium: Verum hoc illorum consilium reprobabat Bavarus, obtendens, quod ex illo facile novum Religionis bellum, novaque Protestantium fœdera oriri possent: perperam vero conscientiæ timor injiceretur, cum Cæsar nonnisi post maturam rei discussionem in hanc transactionem descendisset, nec etiam Papa per Nuntium suum præsens reclamarit, sed velut necessitati cedens ipsemet eam dissimularit: potius ergo conscientia læderetur, si proposita Catholicam religionem a totali excidio liberandi media rejicerentur.

Sæc. XVII.
A.C. 1647.

§. XVIII.

*Nuntii Apostolici literæ ad Cæsarem,
ejusque Legatos.*

*Adam.
Adam. in
Embl. ad
Hist. p. 44.*

Postquam vero Fabius Papæ Nuntius compererat, quod sua taciturnitas pro consensu haberetur, haud parum inde offensus reclamabat, cumque Volmarum, ceterosque Legatos pro absolvendo pacis negotio Osnabrugam certatim convolare intelligeret, non modo hos, sed & Cæsarem datis literis ad avertenda Ecclesiæ, ac Religionis Catholicæ damna stimulabat, hæc Ferdinando Imperatori perscribens: „Quamquam de Sacra Cæsarea Majestate Vestra plurimum in Domino confidens, pro ingenita ejus pietate, commissaque a Deo munere Advocati ac Defensoris S. R. Ecclesiæ, speravi semper ac spero, eandem in Religione Catholica, ejusque personis, bonis, ac juribus tuendis strenue fortiterque allaboraturam, tamen omittere non possum opportuno hoc tempore, quomandasse dicitur suis Plenipotentariis, ut pacem cum hæreticis omnino concludant, quin hujusmodi fiduciam hisce meis literis testatam facerem, simulque rogarem, mandet iisdem serio, ut causam Dei omnibus aliis rebus

„rebus præhabendam minime lædi pa- Sæc. XVII.
 „tiantur, neque permittant ullo pacto A. C. 1647.
 „violari SS. Patrum Concilia, Concilio-
 „rum Oecumenicorum Decreta & Sum-
 „morum Pontificum Constitutiones:
 „quicquid enim contra fieri contingat,
 „uti multoties ipsis per quadriennium
 „inculcavi, & protestatus sum, ita quo-
 „que Cæsareæ Majestati Vestræ humi-
 „liter, fortiter tamen ex Apostolicæ
 „Sedis ministerio, quo fungor, insinuo
 „atque edico, improbatum improban-
 „dumque a me fuisse ac fore coram ho-
 „minibus & coram Deo, qui nos judi-
 „caturus est, & qui corda Regum eo-
 „rumque a Consiliis qua Politicis, qua
 „Theologicis, in manu habet. Sup-
 „plex oro Sacram Majestatem Vestram,
 „ut concepta hæc, atque in honoris
 „ac salutis suæ directa securitatem verba
 „a devoto sibi animo calamoque pro-
 „manantia æqui bonique consulat. Ita
 „enim fiet, ut eadem Sacra Majestas
 „Vestra diuturna in terris, perpetua in
 „Cælis felicitate fruatur, qualem im-
 „pensa & impendenda in idipsum ope-
 „ra pollicetur, quamque interim ego
 „precor a Domino, una cum humilli-
 „ma omnium obsequiorum meorum ob-
 „latione. Datum Monasterii Westpha-
 „lorum, die vigesima nona Novembris
 „anno post Christum natum mille-
 „*His. Eccles. Tom. LXI.* G g „simo

Sæc. XVII. „fimo sexcentesimo quadragesimo se- „
 A. C. 1647. „ptimo. „

Ad Cæsareos vero Oratores eadem die Osnabrugam has transmisit literas; „
 „Assiduis meis pro religione Catholica „
 „tuenda contra iniquas Adversariorum „
 „aggressiones adhortationibus ac pre- „
 „cibus adjungant, spero, libenter pro „
 „sua bonitate Excellentiae Vestrae præ- „
 „sentium literarum confirmationem, „
 „qua sincere monitas in Domino ac ro- „
 „gatas volo, ut omni conatu illæsam „
 „illam atque incolumem servare stu- „
 „deant, si Cæsarea, si propria cujus- „
 „que tum existimatio, tum salus æter- „
 „na cordi est, eaque in nostris actioni- „
 „bus, verbis & cogitationibus una quæ- „
 „renda Dei gloria, a qua nedum ter- „
 „rena ista regna, sed ipsa in cælestibus „
 „infiniitæ, ac nunquam interituræ bea- „
 „titudinis pendet æternitas. Hæc er- „
 „go, quominus ad divinæ Majestatis „
 „tribunal in alicujus culpam aut per- „
 „niciem, sed ut ad suavissimum Catho- „
 „licorum omnium, & præcipue Excel- „
 „lentiarum Vestrarum solatium rege- „
 „rere, aliquando valeam, rogo Eas- „
 „dem, ut fortiter causam Dei propu- „
 „gnantes ab iis damnis incolumem ser- „
 „vent, quæ ex culpa defensorum igna- „
 „viæ & aggressorum iniquitati obnoxia, „
 „non decorampacem, sed abominabile „
 „con-

„confusionis horrendæ monstrum va- Sæc. XVII.
 „lent parturire. Id omen ut avertat A. C. 1647.
 „Deus, sciunt Excellentiæ Vestræ, quo-
 „ties mature protestatus fuerim: ideo-
 „que easdem nunc rogo obtestorque,
 „fatagant in Domino, aliisque minus
 „sperventibus, si qui sint, Deputatis,
 „faciant animos, meque ad obsequia
 „cuncta sibi habeant addictum. Mo-
 „nasterii, 29. Nov. 1647.

Haud absimiles literas idem Papæ
 Nuntius ad Electores Coloniensem &
 Trevirensis, ceterosque Germaniæ
 Episcopos dedit, ad quas tamen pauci
 admodum responsa his monitis congrua
 dabant, perisque præsentem calami-
 tatem noxia etiam pace redimere in-
 tentis.

§. XIX.

*Quædam in pacis Instrumento a Cæ-
 sareis correcta.*

Quoniam vero Cæsaris Oratores ea, *Adam. l. c.*
 quæ Catholici in pacis instrumen- *pag. 49.*
 to mutari petebant, penitus negligere,
 minime auderent, hinc ea ad Cæsarem
 transmisere, ac quædam in nupera
 transactione immutarunt: Ast in hisce
 Cæsareorum correctionibus potentio-
 rum potior habebatur ratio, imbecil-
 lorum vero prorsus nulla, aut vix ali-
 qua:

Gg 2

qua:

Sæc. XVII. qua: eapropter adversus eas a poten-
 A. C. 1647. tioribus vix reclamatum est, imo &
Trevirensis Elector Cæsari & Bavariæ
 Electori permittendum duxit, quas
 cum adversariis pacis leges inire vel-
 lent: ex reliquis alii duntaxat proprio
 suo commodo intenti erant, nonnulli
 veluti sua non interesset, Catholicor-
 um damna tacendo dissimularunt;
 Plures tamen e Catholicis numero qui-
 dem, non tamen auctoritate & poten-
 tia prævalentes, cum sua & Religionis
 ac Catholicorum jura cuperent *esse sar-*
ta, Amnistiam ad initium belli Suecici
 restringi, non extendi ad exordium
 Germaniæ motuum volebant: justitiæ
 & pactorum, quantum fieri posset, ha-
 beri rationem: salvas esse res trans-
 actas, judicatas, decisas, in lite pen-
 dentes: causas particulares vel in Co-
 mitiis Imperialibus, aut via juris ter-
 minari: eliminari ex Instrumento Pa-
 cis quascunque ex bello non provenien-
 tes causas, adeoque restituendorum
 illam seriem aut omitti, aut restringi:
 Episcopis aliisque jura manere salva in
 Ecclesias Palatinatus: Monasteria Wir-
 tembergica, si non omnia, pleraque
 tamen modernis possessoribus Ecclesia-
 sticis servari, ut quæ inter immediata
 non immerito censeantur, partim ex-
 tra territorium Ducis Wirtembergici
 sita

fita sint, nonnulla sententias Camera- Sæc. XVII.
 les, omnia vero solemnes transactiones A. C. 1647.
 & pacta pro se habeant: sententias tem-
 pore belli latis non omnes passim irri-
 tari: æqualitatem inter Catholicos &
 Protestantes ad leges patrias restringi:
 Episcopatus Osnabrugensem & Minden-
 sem non excludi a termino anni 1624.
 cui in casibus sibi utilibus inhærere
 Adversarii vellent: perpetuitatem con-
 cessionis bonorum Ecclesiasticorum in
 temporalitatem converti: Religiosis ho-
 nore salvo libertatem apostatandi non
 concedi: Papæ protestationem aut con-
 tradictionem non interdici: Mensium
 Papalium & precum primariarum usum
 retineri: Canonicos non Catholicos ab
 Ecclesia Cathedrali Argentinensi ar-
 ceri: Oppignorationum materiam ad
 Comitum Generalia remitti: Civitatibus
 Imperialibus & Nobilitati immediatæ
 jus reformandi secundum Pacem Re-
 ligionis limitari: subditis Catholicorum
 credendi libertatem negandam esse, e-
 migrandi vero necessitatem dissentienti-
 bus a Religione Superiorum jussu imponi
 posse: his iisdem subditis neque pu-
 blicum, neque privatum Augustanæ
 Confessionis exercitium concedi: iis,
 qui semel emigraverint, liberum redi-
 tum, etiam inspiciendorum causa, non
 concedi, ob secutura exinde eadem &
 Gg 3 majora,

Sæc. XVII. A. C. 1647. majora, quam ex continua mansione, pericula: in specie subditos Ecclesiæ Corbejenfis, secundum superiorum Cæsarum Rudolphi aliorumque Rescripta, Abbatis, Domini sui, Religionem sectari: idem jus reformandi in civitate Erfordiensis Electori Moguntino salvum esse servandum quoad Religionem & Monasteria: in Episcopatu Hildesienfi Transactionem anno 1643. inter Episcopum & Duces Brunsvicenses initam servandam esse: jus diæcesanum in territoriis Protestantium non plane suffocari: Imperatori arbitrium in decidendis controversiis publicis reservari: Calvinistarum admissionem immaturam esse, certe eorundem potestatem, præcipue reformandi, legibus circumscribendam: Basileam a Camera Imperiali duntaxat, non item ab Imperio eximendam, & imprimis prioribus sententiis ab ea satisfaciendum esse: Cæsari in munimentis firmandis; Postarum ordinatione, aliisque, non ligari manus: satisfactionem Suevicam non ultra Reginæ Sueciæ liberos masculos extendi, nec adimi spem futuræ cum Imperio consolidationis: Episcopos saltem cum authoritate & potestate spiritali, licet non cum Principum dignitate, relinquendos in Episcopatibus illis, qui hæreticis nunc sint concedendi

di in satisfactionem & recompensam, Sæc. XVII.
 idque in solatium inibi existentium Ca- A. C. 1647.
 tholicorum & Religiosorum: Catholi-
 cis potestatem redimendi hujusmodi
 Episcopatus reservari: assurationis
 clausulas in aliis Pacificationibus ob-
 servari solitas etiam hic observari, pro-
 inde eliminari, quæ de jure Canonico,
 Ordinum Regulis, protestationibus, &
 contradictionibus, concordatis cum
 Pontificibus, aliisque similibus non
 attendendis ponuntur.

Verum hæ Catholicorum petitiones
 non modo a Suecis & Protestantibus,
 sed etiam a Cæsareis Oratoribus & qui-
 busdam Catholicis rejiciebantur, in-
 cassum reclamante Nuntio Apostolico;
 in ipso enim responso, quod Cæsar ad
 Catholicorum mutationes dederat, ni-
 hil circa bona Ecclesiastica, eorum
 translationem perpetuam, & ad pro-
 fanum statum reductionem immuta-
 tum fuit.

§. XIX.

*Gravis seditio Neapoli ob tributorum
 exactionem suborta.*

Postquam Hispani cum Batavis post ^{Bougeant}
 octoginta annorum rebellionem, ^{Hist. Bell.}
 retenta nova Reipublicæ suæ norma ^{tric. part. 3}
 pacem stabilierant, magis adhuc peri- ^{l. 7. §. 63.}

Gg 4 culosa

Sæc. XVII. A. C. 1647. culosa seditio a plebe in utriusque Siciliae Regno exorta est. Erat præcipue Siculis infesta Hispanorum dominatio, cujus jugum indomita plebs hoc anno excutere statuit. Jamjam Siracusana, Panormitana, Catanensis, Drepana, & Mons-Regalis urbes in seditiosorum partes abibant. Sola Mellina in Regis sui obsequio immota persistit. Deerant Marchioni de Los Vellos hujus Insulæ Proregi copiæ ad compescendam factionem necessariæ: hic igitur amplis amnestiæ promissis Seditiosos ad obsequium revocare, nec onerum, vectigalium, & tributorum moderationem publico diplomate indicare statuit: nec defuit provido consilio optatus rei successus; rebelles enim eadem facilitate, qua non ita pridem arma sumperant, ea posuerant, ac præcipuos seditionis auctores ipsimet Proregi tradidere, suspendio plectendos: Magis tumultuaria, eoque periculosior erat seditio a Neapolitano populo conflata, cujus occasio erat immoderata quoque vectigalium exactio: præterquam enim, quod cives a Nobilibus dire vexarentur, insuper universus populus, ac præcipue infima plebs, quæ magno numero Neapoli in diem vivit, auctis tributis, quæ frumento, annonæ, rebusque ad victum necessariis erant imposita,

posita, acriter premebatur: Aliquam-
 diu populi indignatio intra querimonias
 stetit, imposito autem tributo in poma,
 olera, hortorumque fructus, nonnulli
 hæc vectigalia exactoribus pendere pa-
 lam recusabant, quorum tamen petulan-
 tia publico supplicio mox compressa est.
 Paulopost Thomas Agnellus, quem
 contracto nomine vulgus *Masaniellum*
 nominabat, juvenis audax, & proter-
 vus, cum forensium rerum Præfetti
 pisces, quos ad forum pro munere suo
 deportabat, eidem ob denegatum tri-
 butum auferri jussissent, se patriæ li-
 beratorem, & oppressi populi vindicem
 jactitabat, & quamvis infimæ plebis
 homuncio esset, lingua tamen prom-
 ptus, & ad quævis audenda proclivis
 quotidie fora & vendentium tabernas
 circumibat, singulos hortatus, ne dein-
 cept tributa penderent: demum vero
 die septima Junii cum parva puerorum,
 sui que similibus, quos hujus gentis dia-
 lecto *Lacerones* vocant, in forum pro-
 diit, & vectigalium Ministros eorum-
 que Præfectum Andream Anacletium,
 qui ad compescendum tumultum accur-
 rerat, pomorum jactu e foro depulit:
 cum vero jamjam ex plebe plusquam
 quinquaginta millia sibi adhærere cer-
 neret, in proximam mensam confurgens,
 habito ad populum sermone, se omnium

Sæc. XVII.
 A. C. 1647.

Sæc. XVI. A. C. 1647. Ducem profitebatur, pollicitus, hunc ipsis postremum pendendis tributis diem fore, dummodo ab iis non derelingeretur, quod tamen si contingeret, se nihilominus pro patria mori paratum esse. Absoluta hac oratione cunctas vectigalium tabernas unacum rationum libris subiecto igne absumpsit, necnon Palatia illorum, qui Hispanis favebant, cum pretiosa suppellectile ferro flammisque devastavit, jumentis etiam, equis & mulis in ignem coniectis.

Tum vero multitudinis suffragio in supremum populi Dictatorem eligitur. Dictu, credituque difficile, sed tamen verissimum! biduo nondum conflatæ seditionis exacto integra, eaque totius Italix potentissima Urbs, quæ Hispani Regis imperium ægre tolerabat, tam avidè hominis privati, atque abjectissimi ex infima plebe jugum subit, obtemperat, & ad nutum arma, Ministros, & opem parat. Ne hiscere quidem audet Rodericus Pontius Arcofiæ Dux Neapolis Prorex, cui etiam omnem victualium copiam intercidi, jusserat Masaniellus.

§. XXI.

*Masaniellus seditionis Princeps
interfectus.*

Aucto

Aucto indies suorum numero Masaniellus pro summo imperio pretia
 pani ceterisque eduliis constituit, ac bona, domos & pecunias eorum, qui
 exigendis tributis præpositi erant, in ignem conjici, & ne minimum quidem
 asportari præcepit, illos vero, qui cupiditate expugnati, quicquam flammis
 subtraxerant, mox capite plecti jussit, ne quidem unico ad animam morti com-
 parandam relicto temporis momento: insuper quingentos illos Equites, quos
 Matalonius Dux & frater ejus Josephus Caraffa ad sedandum tumultum addu-
 xerant, illico comprehendi ac trucidari, necnon in Ducem inquiri jussit, ac de-
 mum Caraffam e latebris extractum ex-
 quisito supplicio interfecisset, nisi qui-
 dam lanio ejus vindictam & crudelita-
 tem prævenire intentus, abscissum Ca-
 raffæ caput quasi in triumpho ad Ma-
 saniellum deduxisset. Inde vero tan-
 topere hujus temeritas creverat, ut suis
 stipatus ipsum Proregem adiret, vecti-
 galia abrogari, sibi que privilegiorum,
 quæ Ferdinandus Rex & Carolus V.
 Imperator Urbi concessissent, diploma
 tradi peteret, extremam vim minitatus,
 nisi illico suis postulatis satisfaceret. In
 tanta rerum perturbatione Cardinalis
 Ascanius Philomarinus Urbis Archie-
 piscopus indictis publicis precibus, im-
 per-

Sæc. XVII.
 A. C. 1647.

*Vita Th.
 Mesan.*

Sæc. XVII.
A.C. 1647.

perterrita cum ipso Masaniello de red-
denda tranquillitate agere cæpit. Hic
vero petitis Proregi propositis insistens
spondebat, se abdicato imperio popu-
lum ad sua dimissurum, si insuper plena
præteritorum venia concederetur: col-
latis igitur consiliis Prorex cuncta hæc
Masaniello liberaliter promisit, & Ar-
chiepiscopus eidem in singulos Menses
ducentos coronatos pollicitus est, quod
tamen donum ipse recusavit: ampla
autem hac indulgentia captus convo-
cato populo, quæ transacta fuissent,
exponens, Foscæ Equiti Neapo-
litano præcepit, ut marmoreis tabulis
hæc verba inscriberet: *Masaniellus Prin-
ceps, Duxque populi Neapolitani omnibus,
mandat ac jubet, ut posthac solius Ducis Ar-
cosæ Proregis jussa legesque excipiant.* Arma
tamen adhuc retineri voluit, donec ab
Hispanica aula, quæ pacta fuissent, ra-
ta haberi nuntiaretur. Hæc unius heb-
domadæ spatio gesta fuere, mox autem
Masaniellus vel ex propinata potione
vel insueta negotiorum multitudine con-
fusus in delirium incidit, cumque om-
nia præpostere ageret, & quæ paulo
ante prohibuit, nunc juberet, nunc
jussa revocaret, suorum odio sibi accer-
sito, sexta post rebellionem die a qua-
tuor Nobilibus interfectus est. Caput a
Lanione abscissum, & hastæ impositum,
reliquus

reliquus vero truncus a scurris per plateas palam raptatus, diu spectaculo ac ludibrio expositus fuit. Sæc. XVII.
A. C. 1647.

§. XXII.

Hæc seditio feliciter sedata.

Trucidato licet seditionis principe, nondum tamen populus ad obsequium revocari poterat; cum enim Prorex intempestivo ardore in reos inquireret, & Joannes Austriacus nothus Hispani Regis Filius cum valida classe & milite urbem cingeret, seditiosi Franciscum Taraltum in rebellionis Ducem elegerant, quem tamen paucis post diebus de Hispanorum favore suspectum capite plectebant, eique Januarium Annesium, juvenem prædæ cupidum, protervum, nullius fidei, nulliusque honestatis hominem subrogabant. Hoc ductore animati rebelles, non modo Hispanorum impetus eluserunt, urbisque portus, trucidatis magno numero Regiis militibus, in sua potestate retinuerunt, sed insuper missis Romam Deputatis Henricum Guisii Principem, qui ibidem sui connubii divortium cum Comitissa de Bossu promoturus hæserat, in patriæ suæ opem evocarunt. Hic vero Neapolitanum diadema spe sua devorans, delatum patrocinium acceptat,

Sæc. XVII ptat, collatisque consiliis cum Fontanaio Marchione Gallico Oratore, datis literis Mazarino Cardinali oblatæ felicitatis feriem exposuit, declarans, quod Neapolitanum Regnum in Rempubli-
A. C. 1647 cam sub Franciæ Regis protectione erigi, eique Guisus cum eadem, qua Arausionensis Princeps Hollandis præest, auctoritate præfici posset. Interea vero Guisus exili scaphæ se committens, per mille pericula, ipsamque Hispanorum classem feliciter Neapolin advenit, a seditiosis ingenti applausu exceptus: cum autem Gallica classis nimis sero adventaret, Joannes Austriacus temporis opportunitate utendum ratus, habitis cum novo Prorege Comite de Ognato consiliis, clam non paucos e populo in suas partes pertraxit; conspirabat etiam ipsemet Annesius, cujus opera accidit, ut cum die sexta Aprilis summo mane Hispani munitiones aggredierentur, eas defensoribus suis destitutas nullo negotio occuparent, turrimque maritimam, quam Annesius sponte tradiderat, tenerent. Tum vero festiva audiebatur conclamatio, & rebelles inopina hac mutatione territi pariter exclamabant: *Vivat Hispania*, ac sensim subeunte belli civilis tædio nobilibus cum plebe conciliatis pax, amor, & obsequium erga Regem

Regem rediit, ac potissimi data venia ^{Sæc. XVII.}
 feditionem detestantes, receptique in A. C. 1647.
 gratiam ad quietem sese composuere,
 pertinaces vero ad supplicia raptati, ac
 ipsemet Annesius ob alia crimina sævio-
 res pœnas luit, cadavere per plateas
 raptato. Guisius vero se multitudinis
 levitate deceptum sentiens, suæ secu-
 ritati consulere studuit, ac nonnisi sex
 domesticis stipatus, Beneventum con-
 tendit, ubi tamen a Comite Tuttevilla
 captus, Cajetam, inde vero in Hispa-
 niam deductus est.

§. XXIII.

*Infausta Gallorum fors contra Hispa-
 nos in Catalonia.*

Cum hætenus Harcurtium in Hispa-
 nia felicem fortuna destituisset, in ^{Jæger. Hist.}
 ejus locum subrogabatur Anguinius, ^{Ecccl. 1. 7.}
 qui defuncto Parente suo Condæi Du-
 cis titulum assumpserat, perinde ac si
 solo tam celebris Archistrategi nomine
 cuncta debellaturus esset. Verum non
 minus novercantem sortem experieba-
 tur Condæus; incassum enim per in-
 tegros quinque Menses Herdam in Ca-
 talonia obsedit, eique superveniens cum
 viginti armatorum millibus Marchio
 Leganesius, non modo eripuit gloriam
 tot antea victoriis partam, sed & tor-
 menta

Sæc. XVII. A. C. 1647.
 menta bellica, impedimenta, omnem-
 que armorum apparatus. In Flandria
 quoque Leopoldus Guilielmus Archi-
 dux, Ferdinandi III. Imperatoris Fra-
 ter, Belgii Gubernator Hispanis armis
 Armenterium & Landrecium expugna-
 vit, Gallorum non paucis aut captis
 aut cæsis, quos inter a suis maxime,
 ab Aula vero Gallica, cui ejus fides
 erat suspecta, minime deplorabatur
 Gassio Marescallus, qui militis æque
 ac Ducis partes agens, dum Lentium
 ignobile oppidum expugnare parat,
 glande plumbea trajectus occubuit:
 Prospero rerum Hispanicarum successu
 territi Lusitani fœdus cum Sueciæ Re-
 gina inire statuerunt, Holmiam decreto
 hanc in rem Legato: cum autem Sue-
 cicus Senatus ex hac armorum societate
 plus molestiæ, quam commodi speran-
 dum crederet, res optato caruit successu.

§. XXIV.

*Sex Cardinales ab Innocentio X.
 Papa creati.*

Hoc item anno die septima Octobris
 Innocentius X. summus Pontifex
 sex Prælatos Romana Purpura decora-
 bat, ex quibus primus erat Fabritius
 Sabellius patria Romanus ex Archiepi-
 scopo Salernitano Presbyter Cardinalis
 tit.

tit. S. Augustini: II. Michael Maza-^{Sæc. XVII.}
 rinus itidem Romanus Ordinis Fratrum ^{A. C. 1647;}
 Prædicatorum, qui ex Aquensi Archi-
 episcopo ad Franciæ Regis preces Car-
 dinalis tit. S. Cæciliæ renuntiabatur.
 III. Franciscus Cherubinus Presbyter
 Cardinalis tit. S. Joannis ante Portam
 Latinam. IV. Christophorus Vidman
 Venetus Diaconus Cardinalis tit. S.
 Marci. V. Laurentius Raggius primo
 Cardinalis Diaconus S. Eustachii, postea
 Presbyter tit. SS. Quirici & Julittæ:
 VI. Franciscus Maldachinus Cardina-
 lis Diaconus tit. S. Mariæ in Via lata:

§. XXV.

*Francisci Mariæ Farnesii Cardinalis
 obitus.*

Nonnisi unum ex Purpuratis hoc an-^{Ciacopi. in}
 no defunctis reperio. Is erat Fran-^{vita Inno-}
 ciscus Maria Farnesius Rainutii Parmæ ^{centii X.}
 Ducis Filius, qui antè biennium die
 quarta Decembris Purpuram ab Inno-
 centio X. accepit, eandem verò una-
 cum vita hoc anno die undecima Julii
 Deo & Ecclesiæ reddidit, nondum
 trigessimum ætatis suæ annum e-
 mensus.

Sæc. XVII.
A. C. 1647.

§. XXVI.

Quædam Innocentii X Constitutiones.

Bull. Magn.
Const. 25.
Et rel.

Inter varias Innocentii X. summi Pontificis Constitutiones habetur una, qua die vigesima quinta Aprilis decisum, quod Fratres Discalceati S. Augustini sine Generalis consensu alios Conventus ejusdem Ordinis occupare non valeant: præterea die vigesima tertia Februarii summus Pontifex Andree Fivizani dicti Ordinis Generalis decretum confirmavit, vi cuius duo vel plures in primo vel secundo gradu consanguinei aut affines in Capitulis suffragium habere non valeant, minus quoque simul Definidores esse possint: die autem vigesima quinta Junii statuit Pontifex, quod Fratres Laici Capuccinorum vocem in electionibus habere valeant.

§. XXVII.

Sacrarum Congregationum decisiones.

Congr.
Episc. Concilii.
Rit.
Et decis.

Occasione dubiorum, quæ ad Sacras Congregationes Romanas deferbantur, plures hoc anno prodire decisiones. & quidem primo S. Concilii Congregatio ad Bononiensium postulata decidit, quod Hæres cogi possit,
ut

ut Sacra a Testatore relicta celebren- Sæc. XVII.
 tur in Ecclesiis ab eo designatis: Die A. C. 1647.
 vero vigesima septima Martii S. Episco-
 porum Congregatio declaravit, quod
 Ordinarii Monialium Confessarii ultra
 triennium a die datæ facultatis non am-
 plius possint earum Confessiones exci-
 pere: concedendus tamen sit eis in ar-
 ticulo mortis constitutis & petentibus
 Confessarius extraordinarius, etsi bis
 vel ter jam talem in anno habuissent.
 Declaratum quoque die sexta Julii, ser-
 vandam esse consuetudinem, ut Sacer-
 dotes, Diaconi, Subdiaconi, aliique
 Clerici, etsi non habeant beneficia &
 officia, accedant ad conferentias ca-
 suum, supplicationes publicas, & in-
 serviant Ecclesiæ Cathedrali in diebus
 festivis. Eadem quoque die Sacra Con-
 cillii Congregatio declaravit, quod Ca-
 nonicus Pœnitentiarius Ecclesiæ Ca-
 thedralis non possit absolvere a censu-
 ris, & a Casibus tam a jure Episcopo
 reservatis, quam ab illis, quos Epi-
 scopus sibi reservavit: neque dispensare
 valeat tempore Quadragesimæ super
 esu ciborum prohibitorum cum infir-
 mis, & cum aliis habentibus attesta-
 tionem Medicorum absque speciali de-
 legatione ab Episcopo concedenda.

Nec etiam possit facultatem, quam
 habet, absolvendi Pœnitentes a casibus

Hh 2

bus

Sæc. XVII. bus sibi concessis, alteri Confessario de-
A. C. 1647. legare, qui absolvat, prout idem Pœ-
 nitentarius, nec possit absolvere Pœ-
 nitentes a censuris, & casibus reser-
 vatis sibi concessis, non audita integra
 Confessione Sacramentali, sed tantum-
 modo ab ipsis casibus reservatis, & pro
 aliis Pœnitentes remittere ad alium
 Confessarium.

Declaratum quoque die secunda
 Augusti, quod Episcopus a solo Papa
 excommunicetur: die vero decima se-
 ptima ejusdem Mensis statutum, quod
 Præbendati, qui sunt adstricti certis
 temporibus interesse choro, dum ex
 consuetudine antiqua canunt in organo
 cum Cantoribus, possint percipere Di-
 stributiones quotidianas, quæ inter
 assistentes Missis ac Vesperis dividun-
 tur, dummodo fiat pro majori cultu, de
 consensu Episcopi, raro, non abundan-
 ter, & non voluntarie.

Generales vero Ordinum non pos-
 sint propria auctoritate celebrari facere
 in Monasteriis aliarum Civitatum, Pro-
 vinciarum, & Regnorum etiam extra
 Italiam, quantitatem Missarum, pro
 quibus uni tantum Ecclesiæ fuerant
 largitæ Eleemosynæ.

Sæc. XVII.
A. C. 1647.

§. XXVIII.

Varia Principum & Illustrium funera.

Eodem anno, quo Ferdinandus IV. *Orth. Con-*
 Cæsaris Filius Posonii in Regni *tin. p. 258.*
 Procerum comitiis in Hungariæ Regem *Brachel hist.*
 unanimi suffragio die tertia Junii electus, *Temp. l. 6.*
 solemnique pompa inauguratus & Anna Maria Ferdinandi III. Filia Philippo IV. Hispaniarum Regi ibidem per Legatum Hispanicum regio splendore desponsata erat, Anselmus Casimirus ex familia Wamboldiana de Umstatt Elector atque Archiepiscopus Moguntinus, qua dignitate per octodecim annos potiebatur, supremum diem non sine magno Imperii decremento obiit. Successorem habuit ex nobilissima Schönborniorum prosapia Joannem Philippum Herbipolensem Episcopum, qui rebus pro Germaniæ pace feliciter ac præclare gestis per universum Imperium cum insigni nominis, priscae sinceritatis, & annosæ prudentiæ fama inclauit. Luctuosus quoque hic annus Danis exstitit ob nimis maturum decessum Christiani Principis, qui Christiani IV. Regis primogenitus erat filius. Hic enim, cum Dresda in Bohemiam curandæ valetudinis ergo ad thermas

H h 3 profi-

Sæc. XVII. proficisceretur, in quodam Saxonie
A. C. 1647. oppido morte interceptus est. Succes-
 sit eidem Fridericus alter Regis Daniæ
 Filius, atque Bremensis Archiepisco-
 pus. Haud minori luctu Poloniam
 Regemque involvit obitus unici octen-
 nis Filii sui, Principis optimæ spei, qui
 dysenteria correptus, communi tum
 Poloniæ damno mortalitatem unacum
 proxima Regni spe exiit. Pariter hunc
 annum vitæ suæ exitialem habuit Hen-
 ricus Fridericus Princeps Arausicanus
 Belgicorum Ordinum Præfectus, qui
 die decima quarta Martii anno ætatis
 suæ sexagesimo septimo ex hydropisi
 decessit, suumque Filium Guilielmum
 II. Successorem habuit.

§. XXIX.

*Quorundam Scriptorum Religione
 Catholicorum obitus.*

*Miræus
 Script. Sæ-
 cul. XVII.
 Le Cerf
 Bibl. des
 Auth. de la
 Congr. de
 S. Maur.*

Præterea plures ex Catholicis Scripto-
 ribus Ecclesiasticis hoc anno dece-
 sisse comperimus, & quidem hos inter
 primus erat Robertus Suertius Ant-
 verpianus Canonicus, qui præter plura
 Polemica edidit tractatum, cui titu-
 lus: *cumulus mendaciorum Francisci Lands-
 bergii Ministri Batavi*, necnon alium de
 fide hæreticis servanda. II. Angelus
 Vulpes ex Ordine FF. Minorum Theo-
 logiæ

logiæ Magister, qui scripsit commen-
 taria in S. Theologiæ summam decem
 tomis & narrationem de vita & mar-
 tyrio S. Gregorii Martyris & Armeniæ
 Primatis. III. Thomas Four Benedicti-
 nus ex Congregatione S. Mauri elucu-
 brabat Paraphrasin in Cantica, Testa-
 mentum spirituale, Grammaticam He-
 braicam, & commentaria in Psalmos,
 quæ tamen non absolvit, eo temporis
 momento morte præventus, dum hunc
 versum: *Sperent in te, qui noverunt no-
 men tuum* explanare parabat. IV. Si-
 mon Germanus Milletus ex eadem Con-
 gregatione elucubravit librum, cui ti-
 tulus: *Gloria Ecclesiæ Gallicanæ vindica-
 ta de suo Dionysio Areopagita* contra
 P. Sirmondum, edidit quoque respon-
 sionem ad Dissertationem de duobus
 Dionysiis contra Launoyum, necnon
 Thesaurum S. Dionysii præter Dialogos
 S. Gregorii latine redditos, & tracta-
 tum de translatione Corporis Divi Be-
 nedicti. V. Julianus Francandellus
 Clericus Regularis posteris reliquit li-
 bros quatuor de recuperanda Ægypto
 & panegyricos sermones in laudem
 Sanctorum, & Cardinalium Protecto-
 rum sui Ordinis &c. VI. Salvator Vi-
 talis Ord. FF. Minorum edidit tracta-
 tum de Stigmatibus D. Francisci, li-
 brum de tribus horis, quibus Christus

Sæc. XVII.
 A. C. 1647.

Hh 4

pepen-

Sæc. XVII. pependit in Cruce, Annales Regni Sar-
 A. C. 1647. diniaë, pluraque alia. VII. Cæsar Ca-
 rena Theologiæ Doctor scripsit tracta-
 tum de modo procedendi in causis
 sancti Officii. VIII. Hieronymus Ghiliei
 Canonicus ad S. Ambrosium, typis
 vulgavit theatrum hominum literato-
 rum, & practicabiles casuum conscien-
 tiæ resolutiones. IX. Ivo Gattula
 Romanus jurisprudentiæ Professor, qui
 decisiones Rotæ Romanæ cum com-
 mentariis & Indice, necnon sub Albi-
 donis nomine suam fabulam Pastora-
 lem prælo subjecit. X. Julius Cæsar
 Recupitus e Societate scripsit tractatus
 Theologicos, nuntium de Vesuviano
 incendio & novo terræ motu in Cal-
 labria, librum de signis Prædestinatio-
 nis & numero Prædestinatorum, nec-
 non varias panegyres præcipue unam
 de S. Theresia Neapoli in ejus Beatifi-
 catione habitam. XI. Silvester Petrus
 sancta itidem Jesuita, qui Thaumasi-
 veræ Religionis, notas & apologiam
 contra Petrum Molinæum, & Andream
 Rivetum, Sacras Bibliorum Metapho-
 ras pluraque alia edidit. XII. Mathu-
 rinus Courtois Carmelita scripsit lectio-
 nes in S. Scripturam, commentaria in
 epistolas D. Pauli ad Corinthios & Ro-
 manos, in Divi Mathæi Evangelium, in
 Decretalem Innocentii Papæ, in Cle-
 menti-

mentinas, & libros quatuor sententiarum, præter plura alia in variis Bibliothecis sui Ordinis asservata. XIII. Hieronymus a S. Hyacintho Carmel. Excal. qui ingenti Catholicorum applausu, & hæreticorum confusione in colloquio Thoruniensi contra Calvinistas & Lutheranos anno priori disputabat, obiit die vigesima sexta Januarii nonnisi quadraginta quatuor annos natus; Edidit ideam Colloquii Thoruniensis, Animadversionem in Joannem Hulsemannium cum defectione satisfactionis ab illo requisitæ, & ibidem exhibitæ, necnon aureum librum, cui titulus: Manipulus Fasciculorum, præter plura alia aut prælo parata, aut Polonice reddita, XIV. Franciscus a Jesu ejusdem Ordinis, scripsit mysticam explicationem Cantici Canticorum, & exactam descriptionem humanæ peregrinationis a terra in cælum.

Sæc. XVII.
A. C. 1647.

Vid. supra
l. 201. pag.
175, & 186.

§. XXX.

Quidam Scriptorum A catholicis hoc anno defuncti.

Paucos ex Scriptoribus A catholicis, *Freherus* qui hoc anno obiit, addere lubet, *Theatr.* & primo quidem decessit Arnoldus *Erud. p. I.* Mengerius, qui Elenctria de pane *sect. 3.* Eucharistico, Strenam Scholæ Cate- *Wolf. Bibl.* cheticæ, *Hebr.*

Hh 5

cheticæ,

Sæc. XVII. cheticæ, perversam ultimi sæculi ma-
A. C. 1648. litiam, scrutinium conscientiæ, plura-
 que alia ejus generis edidit. II. An-
 dreas Rivetus, qui scripsit specimen
 paradoxorum Papismi, defensionem li-
 bertatis Christianæ, summam contro-
 versiarum inter Orthodoxos & Pon-
 tificios, examen animadversionum Hu-
 gonis Grotii, & nonnulla alia. III.
 Georgius Maiclerus, qui librum de Na-
 tivitate Christi, & Eclogam de Nomi-
 ne Jesu, Historiam Susannæ, librum
 Psalmorum, tractatum de Passione Do-
 minica, Myrrhæ poterium, seu de Pas-
 sione, resurrectione & Ascensione Christi
 præter plura alia elucubraverat.

§. XXXI.

*Innocentii X. summi Pontificis respon-
 sio ad dubia ab Episcopo Angelo-
 politano contra Jesuitas
 proposita?*

*Bullar.
 Magn. In-
 noc. X. Con-
 stit. Anton.
 Resend. in
 Vita Ven.
 Palaff.*

Postquam Joannes de Palafox & Men-
 doza anno hujus sæculi trigesimo
 nono die tertia Octobris ad Episcopa-
 tum Angelopolitanum, seu Populi San-
 ctorum Angelorum in Indiis Orientali-
 bus Novæ Hispaniæ promotus fuerat,
 mox Pastoralis Zelo irrepentes corrupte-
 las e sua Diæcesij eliminare studuit,
 cum-

cumque Episcopalis suæ jurisdictionis **Sæc. XVII.**
 jura circa administrationem Sacramen- **A. C. 1648.**
 torum a Jesuitis impune violari doleret,
 summa moderatione, monitis, ac pre-
 cibus eos ad debitam subjectionem re-
 vocare satagit. His autem Sedis Apo-
 stolicæ privilegia, necnon vivæ vocis
 oracula opponentibus, Joannes Epi-
 scopus quosdam ex suis Clericis anno
 Christi millesimo sexcentesimo quadra-
 gesimo octavo Romam ablegabat, qui
 nonnulla dubia, circa quæ inter præ-
 fatum Episcopum, dictosque Clericos
 ingens erat dissidium, a Sacra Sede de-
 cidi, efflagitent. His Romam ad-
 ventantibus, ac demandatum negotium
 exponentibus, summus Pontifex allatas
 Episcopi literas, totamque causam
 particulari Cardinalium Congregationi
 aliisque Theologis examinandam com-
 misit: Igitur non modo prædicti Epi-
 scopi Oratores, sed etiam Societatis
 Procurator Generalis sæpius coram præ-
 fatis Cardinalibus ac Prælatibus fuere au-
 diti, & mature ponderatis utriusque
 partis rationibus, tandem die decima
 sexta Aprilis sacra Congregatio sequen-
 tem pronuntiabat sententiam: *Censuit
 sacra Congregatio Societatis Religiosos ne-
 quaquam posse in Civitate, & Diœcesi An-
 gelopolitana personarum secularium con-
 sessiones audire sine approbatione Episcopi
 Diœ-*

Sæc. XVII. *Diaecesani, nec verbum Dei prædicare in
A. C. 1648. Ecclesiis sui Ordinis, non petita ipsius be-
nedictione, nec in aliis Ecclesiis sine ejus li-
centia, nec in Ecclesiis etiam sui Ordinis
ipso contradicente, & contravenientes ab
Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Dele-
gato coerceri, & puniri posse etiam censu-
ris Ecclesiasticis in vim Constitutionis Sanctæ
mem. Gregorii XV. quæ incipit, Inscruta-
bili Dei providentia. Ac proinde memo-
ratis Religiosis, qui hujusmodi approba-
tionem, ac licentiam se obtinuisse non do-
cuerunt, potuisse Episcopum, seu ejus Ge-
neralem Vicarium præcipere sub pœna ex-
communicationis latæ sententiæ, ut a Con-
fessionibus audiendis, & Verbi Dei prædi-
catione abstinere, nec ob eam causam li-
cuisse dictis Religiosis quasi a manifestis in-
juriis, & violentiis eligere Conservatores,
eosque, ut præfertur, electos in Episcopum,
ejusque Vicarium Generalem indebite, ac
nulliter excommunicationem fulminasse. Cæ-
terum sacra Congregatio serio in Domina
hortatur, ac monet Episcopum, ut Chri-
stianæ mansuetudinis memor erga Societa-
tem Jesu, quæ laudabili suo Instituto in
Ecclesia Dei tam fructuose laboravit, ac
sine intermissione laborat, paterno se gerat
affectu, eamque in regimine Ecclesiæ suæ
perutilem adjutricem agnoscens benigne so-
veat, ac pristinae suæ benevolentia restituat,
quemadmodum sacra Congregatio ipsam sa-
cturum*

curum confidit, sibi que certo pollicetur, *Sæc. XVII.*
 cum ejus Zelum, pietatem, ac pastoraalem *A. C. 1648.*
 sollicitudinem compertam habeat.

Ne vero generali hoc judicio ad-
 versæ parti minus satisfactum videretur,
 hinc summus Pontifex urgentibus
 Episcopi Delegatis singula dubia ab eo-
 dem proposita ab iisdem Cardinalibus &
 Theologis decidi, & ad ea responderi
 præcepit: rursus igitur, sæpiusque audita
 utraque parte, ac negotio mature di-
 scusso sacra Congregatio ad singula du-
 bia, prout sequitur, respondit.

I. *An in casu, quo Episcopus præci-
 piat, decreta aliqua Concilii Tridentini a Re-
 gularibus observari, & executioni deman-
 dari, Regulares quicumque etiam Societatis
 Jesu sub prætextu, quod hujusmodi præ-
 cepta infringant sua privilegia, possint e-
 ligere Conservatores? Congregatio re-
 spondit, si Episcopus præcipiat Regulari-
 bus etiam Societatis Jesu, ut decreta ali-
 qua Concilii Tridentini observent, ac exe-
 quantur in illis casibus, in quibus per ipsum
 Concilium, vel Constitutiones Apostolicas
 Regulares exempti subjiciuntur jurisdictioni
 & correctioni Episcopi, minime licere ipsis
 Regularibus ob eam causam conservato-
 res eligere.*

II. *An, quando Ordinarius procedit
 juris ordine servato adversus Regulares præ-
 dictos in casibus, in quibus per Concilium
 Triden-*

Sæc. XVII. *Tridentinum, vel Constitutiones Apostoli-*
A. C. 1648. *cas ipsi subjiciuntur, possint Conservatores*
judices assignare? Respondit ut ad prox-
imum, non posse.

III. *An Regularibus etiam Societatis*
Jesu asserentibus se habere privilegia, quo
minus obediant Episcopo in executione de-
cretorum juris communis Concilii Triden-
tini, & Constitutionum Apostolicarum, Or-
dinarii debeant ipsis adhibere fidem absque
exhibitione hujusmodi privilegiorum? Re-
spondit, Ordinarios non teneri hujusmodi
assertioni fidem adhibere absque integrali
privilegiorum exhibitione.

IV. *An in casu, quo Regulares qui-*
cunque etiam Societatis Jesu exhibeant ali-
qua privilegia, & Ordinarii judicent, ea
non suffragari casui, de quo agitur, & ad
rem non facere, Regulares præfati possint,
& debeant provocare ad summum Pontifi-
cem, vel in partibus Indiarum remotissimis
ad Metropolitanum, sive Ordinarium vi-
ciniorem, vel potius possint hoc casu eli-
gere judices Conservatores? Respondit:
Si verba privilegiorum sint obscura & am-
bigua, non licere recurrere ad Metropoli-
tanum, vel viciniorem Episcopum, nec
Conservatores eligere, sed summum Pon-
tificem pro interpretatione esse adeundum.

V. *Utrum Constitutio sel. record. Gre-*
gorii XV. circa Conservatores Regularium
publicata anno 1621. cum Declarationibus
Emi-

Eminentissimorum sacrae Congregationis Sæc. XVII. Concilii Tridentini Interpretum desuper editis æque afficiat, & comprehendat Religiosos Societatis Jesu, ac reliquos Regulares, ita ut omnia alia prædicta Societatis privilegia fuerint reducta ad terminos dictæ Constitutionis, & sic in posterum debeant ab iis eligi Conservatores juxta formam, & tenorem prædictæ Constitutionis? Respondit: hujusmodi Constitutionem cum declarationibus, ut prætenditur, editis æque afficere Religiosos Societatis Jesu, atque aliorum Ordinum, & Conservatores ad illius præscriptum esse eligendos, non obstantibus quibusvis privilegiis; quippe quæ omnia sunt reducta ad terminos ipsius Constitutionis.

VI. *An Regulares prædicti gravati ære alieno, vel ad ratiocinia, vel Testamentorum Executores possint conveniri coram Ordinario, si Conservatores non nominaverint intra tempus habile ab Ordinario præscriptum? Respondit: Regulares in causis præfatis coram Ordinario loci esse conveniendos, si ad præscriptum Constitutionis Sanct. mem. Gregorii XV. Conservatores non elegerint, ipsumque electionis documentum intra præfinitum tempus in actis Curie ipsius Ordinarii non exhibuerint, ac dimiserint.*

VII. *An dicti Regulares Conservatores sive ad jura, sive ad privilegia tuenda assumentes*

Sæc. XVII. A. C. 1648. *mentes teneantur ante exercitium commissio- nis præstare cautionem coram Ordinario, sive alio iudice competente, de iudicio fisci, & iudicatum solvendo, casu quo in lite sive causa succubuerint? Respondit: non teneri.*

VIII. *An, quando Episcopi iura, vel decimas Cathedralium adversus Regulares prædictos dote sua spoliantes Ecclesias coram iudice competente tuentur, librosque, memorialia, & allegationes producant, jus Ecclesiarum Cathedralium exprimentes, & acquisitiones Religiosorum, aliaque id generis adnumerantes, huiusmodi scriptorum occasione possint Regulares nominare Conservatores, prætendentes injuriam sibi inferri in referendo immoderatas acquisitiones? Respondit: Si Episcopi pro tuendis iuribus Cathedralium Ecclesiarum coram iudice competente huiusmodi scripta producant, & Regularium immoderatas acquisitiones veraciter & modeste referant, non licere Regularibus ob eam causam ad Conservatoris recurrere.*

IX. *Utrum Regularis quicumque, etiam Societatis Jesu possit administrare Sacramentum pœnitentiæ Sæcularibus absque licentiâ Episcopi Diœcesani, etiamsi in aliena Diœcesi approbatus sit? Respondit: Regulares etiam Societatis Jesu in una Diœcesi ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum Sæcularium audiendas nequaquam*

quam posse in alia Diœcesi hujusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi Diœcesani. Sæc. XVII. A. C. 1648.

X. An Episcopus contra dictos Regulares audientes in sua Diœcesi confessiones sæcularium absque sua approbatione, vel Concionatores absque licentia Episcopi intra & extra proprias Ecclesias possit procedere, eos a talibus ministeriis removendo, sive præceptis, & aliis juris remediis coercendo? Respondit: eisdem Regularibus, qui confessiones personarum sæcularium audiunt sine approbatione Episcopi loci, vel prædicant in Ecclesiis sui Ordinis, non petita illius benedictione, aut in aliis Ecclesiis absque ipsius licentia, vel in Ecclesiis etiam sui Ordinis ipso contradicente, posse Episcopum in vim Constitutionis fel. record. Gregorii XV. quæ incipit: Inscrutabili Dei providentia, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatum administrationem Sacramenti pœnitentiæ, ac munus prædicationis interdicere, eosque juris remediis coercere, & punire.

XI. An, quando Episcopo constat, dictas licentias obtentas non fuisse, ipse possit præcipere, ut, donec licentiam intra præscriptum tempus exhibeant, a tali ministerio abstineant, & an requirendus sit per Episcopum pro his exhibendis Provincialis in alia Diœcesi, vel longissime existens, vel ipsi Regulares Confessarii, vel eorum Superiorum.

Sæc. XVII. A. C. 1648. *periores ejusdem Diœcesis, in qua prædicta exercent? Respondit: posse Episcopum sic præcipere, nec pro hujusmodi licentiis requirendum esse Provinciale, sed satis esse, ipsos Religiosos requirere, aut eorum Superiores in Diœcesi Episcopi existentes.*

XII. *An si contingat, ut aliquis prædictorum Regularium insurgat contra Episcopum in propria Diœcesi maledictis cum scripto, vel dicto, populum scandalizando, possit ab Episcopo puniri, & qua animadversione, & quid, si hujusmodi delinquens transferit ad aliam Diœcesin, hoc casu servandum sit, & qua pœna puniendus sit Regularis, qui commorans in una Diœcesi, spargat famosos libellos contra Ordinarium alterius Diœcesis? Respondit: Si Regularis intra claustra degens extra ea in casibus, in dubio expressis ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, teneri Superiorem Regularem infra tempus ab Episcopo præfigendum severe illum punire, ac de punitione Episcopum certiore facere, alioquin sic delinquentem ab Episcopo puniri posse ad præscriptum Concilii Tridentini cap. 14. sess. 25. de Regular. quod si delinquens ad aliam Diœcesin migraverit, servandum esse, quod præcipitur in Constitut. sanctæ mem. Clementis VIII. Incipien. suscepti muneris ratio.*

XIII. *An Conservatores nominati, & electi a Regularibus prædictis ante exercitium*

tium suæ jurisdictionis teneantur electionis *Sæc. XVII.*
 authenticum documentum exhibere coram Or- *A. C. 1648.*
 dinario sub pœna nullitatis actuum? Re-
 spondit: utique teneri.

XIV. An privilegia, quæ sunt contra
 jurisdictionem Ordinarii, & quibus gau-
 dent, & gaudere prætendunt Regulares
 prædicti, debeant Episcopis notificari, sive
 insinuari? Respondit: Regulares teneri
 hujusmodi privilegia Episcopo exhibere, si
 eis uti voluerint.

XV. An prædia rustica, metallorum
 fodinæ, sacchari opificinæ a Regularibus
 Societatis, vel aliis possessa, vel aliæ domus
 sæculares, in quibus videlicet unus vel duo
 Regulares tantum commorantur, gaudeant
 privilegio Collegiorum, seu Conventuum?
 Respondit: non gaudere.

XVI. Utrum Regulares prædicti Apo-
 thecas quarumcumque mercium, macella,
 & similia præsertim prope Collegia, sive
 Conventus exercentes, possint ab Ordinario
 sub censuris inhiberi, ne hujusmodi exer-
 ceant? Respondit: Non posse Episcopum
 prohibere Regularibus exemptis, sed si in
 præmissis ita notorie delinquant extra clau-
 stra, ut Populo scandalo sint, servandum
 esse, quod dictum est supra in resp.
 ad duodecimum.

XVII. Utrum Regulares, et
 tres Jesuitæ in suis prædiis, opificinis,
 aliisque suis domibus sæcularibus sitis intra
 li 2 limi-

Sæc. XVII. *limites parochialium ad se non spectantium*
A. C. 1648. *possint administrare Sacramentum Baptis-*
matis, solemnæ Matrimonii, extremæ Un-
ctionis, & Eucharistiæ in Festo Paschatis
famulis, Mercenariis, Rusticis, sive aliis
id genus hominibus sæcularibus absque Or-
dinarii, vel Parochi licentia? Respondit:
Non posse.

XVIII. *Utrum Patres Societatis in*
Civitate, & Diœcesi Angelorum possint
consecrare vasa sacra, altaria, & similia,
in quibus unctio requiritur? Respondit:
itidem non posse.

§. XXXII.

Sacrae Congregationis responsio a
Pontifice confirmata ad dubia a
Jesuitis proposita.

Bullar.
Magn. Const.
32. Innoc. X.

Quamprimum Americani Jesuitæ, Ve-
 nerabilem Episcopum ad Sedem
 Apostolicam recurrisse compererant,
 mox & ipsi quosdam ex suis Romam
 ablegabant, qui sua quoque jura, quæ
 a præfato Episcopo violari querebantur,
 tuerentur, necnon proposita dubia a
 summo Pontifice decidi peterent: Die
 igitur decima sexta Aprilis sacra Con-
 gregatio jussu Pontificis ad Jesuitarum
 quæstiones ita respondit, & quidem.
I. *At Episcopi in partibus Indiarum pos-*
sint ex integro totum unum Monasterium,
vel

vel Collegium ab audiendis Confessionibus Sæc. XVII. A. C. 1648.
 suspendere? Respondit: Episcopus India-
 rum posse quidem omnibus simul unius Mo-
 nasterii, vel Collegii Confessariis adimere
 facultatem audiendi confessiones Personarum
 sæcularium etiam inconsulta sacra Congre-
 gatione Episcoporum, & Regularium ne-
 gotiis præposita, cum Decretum ab ea e-
 ditum sub die 20. Novembris 1615. ex in-
 tentionis defectu, & convenientia morali
 non extendatur ad Regiones illas, tam
 longe ab urbe distitas. Verum ab hac ge-
 nerali suspensione, quæ vix sine scandalo,
 & animarum pernicie contingere potest, ab-
 stinendum esse Episcopis, nisi gravissima
 subsistente causa, super quo sacra Congre-
 gatio illorum conscientias graviter voluit
 esse oneratas.

II. An Episcopus Regularem pro Con-
 fessionibus semel approbatum sine nova causa
 suspendere possit ab ipsis Confessionibus au-
 diendis? Respondit: Regulares alias li-
 bere ab Episcopo approbatos ad audiendas
 Confessiones personarum sæcularium ab eo-
 dem Episcopo suspendi non posse sine nova
 causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente.

III. An Bulla Pii V. 34. in ordine
 tom. 2. Bullarii concessa instante, & sup-
 plicante Serenissimo Rege Catholico non ad
 petitionem Regularium sit revocata in Bullis
 Summorum Pontificum, in quibus exem-
 ptiones Regularium mitigantur? Respon-
 dit:

Sæc. XVII. dit: *agendum cum Sanctissimo, an velit A. C. 1648. declarare, Bullam non esse revocatam, illam tamen non suffragari, nisi in locis, ubi est defectus Parochorum.*

IV. *An Episcopus possit cum censuris procedere contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in Confessionibus audiendis, vel prædicatione verbi Dei, & hoc an vigore Concilii Tridentini, vel per quem canonem? Respondit: posse procedere non quidem in vim Concilii Tridentini, sed in vim Constit. Gregorii XV. quæ incipit: Inscrutabili Dei providentia.*

V. *An licentia audiendi Confessiones, & prædicandi ab Episcopo per literas patentes Cancellariæ concedi possit? Respondit: posse concedi etiam per literas missivas, vel oretenus, si ita Episcopo videbitur.*

VI. *An talis licentia oretenus sine scriptis concedi possit? Ad hoc dubium respondit Sacra Congregatio: Uti ad proximum*

VII. *An facultas eligendi conservatores concessa Societati a Gregorio XIII. suffragetur illis in locis, in quibus non adsunt iudices Synodales? Respondit: Ubi non adsunt iudices Synodales, privilegium Gregorii XIII. non suffragari quoad hoc, ut Societas non teneatur ex illis eligere Conservatores, dummodo tamen in reliquis servetur forma Constitutionis Gregorii XV. hac de re editæ.*

VIII.

VIII. *An Conservatores Societatis Vi-* Sæc. XVII.
A. C. 1648.
carios generales Episcoporum auctoritate
Apostolica per sententias, censuras, pœnas
Ecclesiasticas compellere possint virtute Bul-
læ Gregorii XIII. Incipientis. Aequum re-
putamus. Datum ultima Februarii 1573.
 Respondit: posse a manifestis injuriis, &
 violentiis eos compescere etiam censuris, &
 pœnis Ecclesiasticis.

Hoc sacræ Congregationis judicium
 Venerabilis Episcopus Joannes de Pa-
 lafox, ne quovis subterfugio eludi pos-
 set, ab ipso summo Pontifice appro-
 bari, & confirmari efflagitabat, quod
 etiam Constitutione Apostolica die de-
 cimo quarto Maij promulgata factum
 est: Nondum tamen acquiescente ad-
 versa parte, Palafoxius anno sequenti
 prolixa admodum epistola die octava
 Januarii ad Innocentium X. data suas
 querelas, acerbioresque suæ jurisdic-
 tionis violationes, suæ auctoritatis
 contemptus, introductasque corrupte-
 las & scandala exposuit, graviter que-
 stus, quod Jesuitæ recens editam Pon-
 tificis Constitutionem tanquam irritam
 habeant, eoquod ab Indiarum Senatu
 non fuisset approbata. Unde mirum,
 qua fronte hæc Venerabilis Palafoxii
 epistola ad Innocentium X. a nonnullis
 in Societatis odium conficta habeatur,
 cum tamen in summi Pontificis Con-

Sæc. XVII. stitutione omnino eadem facta & om-
 A. C. 1648. nes ferme querelæ, explicatius licet,
contineantur, quæ in Palafoxii epistola
 leguntur, proin illius æque ac propo-
 sitorum ausuum veritas ex ipso diplo-
 mate Pontificio ad oculum demonstre-
 tur, aut saltem hæc in Indiis contra
 Episcopum vere fuisse attentata, et si
 hæc epistola non esset Palafoxii, ne-
 gari ultra non poterit.

§. XXXIII.

Bavaria a Suecis fœde devastata.

Calmet hist. Univers. liv. 101. pag 59. Adlzr. Annual. Boic. p. 3. l. 33. **E**rat quidem hic annus triennalis Belli postremus, Catholicis tamen, & præcipue Bavaris longe funestissimus; quippe Urangelius Suecici exercitus Dux Königsmarckii & Hassiæ Landgravi copias auctus, ineunte hoc anno Visurgin trajecit, Bavaros, qui jamjam Bischofsheimium ad Tuberum amnem & Werthemium oppidum expugnauerant, repulsurus: opportune tamen Cæsarei haud procul Ochsenfurto sese Bavaris junxere, ac die vigesima quarta Martii prope Neoburgum Danubium trajicientes hostem, ne ad interiora Baviaræ penetraret, prohibere nitebantur; nuntiatum enim, quod jamjam Turrenius Vice-Comes, qui cum octo circiter millibus Palatinum in-
 sede-

federat, Urangelio junctus Rhenum Sæc. XVII.
 prope Lauingam transire pararet, ac A. C. 1648.
 Winsheimium ejectis Bavaris expu-
 gnata Dilinga, Hæchstadium & Gun-
 delfingam ceteraque Nortlingæ circum-
 vicina loca deditione cepisset. Pro-
 motis igitur castris, Cæsareo - Boicæ
 legiones, Donawertha hosti relicta,
 Ginsburgi stativa habuere, ubi vario
 Marte velitares intercessere conflictus:
 Sueco-Galli interea arcem Wallerstei-
 niam, Harburgum, Catzensteinium,
 Boxbergam, pluresque alias urbes aut
 vi aut deditione captas incendiis, ac
 rapinis fœde devastarunt, tandem vero
 Lauingæ necnon Leipheimii Danubium
 trajecerunt, frustra obsistentibus Ba-
 varo-Cæsareis, qui die decima septi-
 ma Maij castra Augustam versus redu-
 cere compulsi sunt: Hos vero Königs-
 marchius & Fridericus Hassiæ Land-
 gravius ad Susmerhusium assecuti, tanto
 impetu invasere, ut eos non sine clade
 in fugam agerent, ipso Melandro seu
 Comite Holzaphelio in primo certami-
 ne graviter vulnerato, qui Augustam
 delatus eadem nocte obiit: Insequen-
 tium tamen rabiem Cæsarei trans
 Schmitterum amnem sistebant, ubi
 Suecis trajectum molientibus, & Cæ-
 sareis ad seram usque noctem fortiter
 resistentibus redintegratum est prælium,

Sæc. XVII. æquato tamen utrinque damno, Cæsareo - Boici, ordinibus minime turbatis, A. C. 1648 Fridbergam castra transfulerunt, ne foederati Lycum trajicerent, obistentes. Verum improvido prorsus consilio factum, ut Cronsfeldius Comes, cui Maximilianus Bavarix Dux hostem a citimis Bavarix finibus arcendi curam demandaverat, omissa Lyci defensione ad Bavarix interiora recederet; inde enim captata occasione Gallo-Sueci Lyco superato totam cis - Oenam Baviariam devastarunt, ac Frisingam, & Mosburgum nullo negotio occuparunt; unde Maximilianus, ne tantæ calamitatis spectator esse cogeretur, cum Aula Salisburgum secessit, Cronsfeldium vero Mooachii in custodiam tradi jussit, Interim Urangelius Landshutum invasit, incendioque suburbio in deditionem recepit, civibus vicies mille florenis incendium, urbisque direptionem redimere coactis: Capta urbe Prædicantes in SS. Martini & Jodoci Templis conciones habuere, ac Lutheranam synaxin distribuerunt, in sacras tamen imagines, inque res Deo dicatas minore furore quam olim Vinarienses, desævierunt, divina ultione, qua plures sacrilegi subito castigati fuerant, territi: Demum tota cis Oenum Bavaria incendiis & depredatio-

dationibus exhausta, Gallo-Sueci si-
 gna ad Oenum protulere, ut ea etiam
 devastata Bavariae parte aditum in su-
 periolem Austriam sibi panderent. Er-
 go Wasserburgum, incassum tamen, ob-
 fidem, direptoque Rosenheimio Mul-
 dorffium occupant, dejectumque pon-
 tem, ut Oenum trajicere possent, im-
 pigro labore reparare satagunt: verum
 Bavari ex opposito propugnaculo tam
 assiduum globorum procellam in operas
 effudere, ut Piccolominio Duce, quem
 Cæsar Holzapfelio subrogaverat, cum
 recenti milite in opem accurrente, Sueci
 desperato Oeni trajectu Neomarcum &
 Eggenfeldam die sexta Julii secederent,
 relictis ubique incendiariae crudelitatis
 vestigiis. Postmodum crebra, levia
 tamen committebantur prælia, Suecis
 nunc victis, nunc victoribus: ubi vero
 Urangelius venationi intentus, a Joanne
 de Werth prope Dachavium magna
 clade in fugam actus fuerat, post con-
 sumptam, grassationibus & irrita expe-
 ditione æstatem Sueco-Gallie Bavaria
 excedere decreverunt, ut tamen prius
 sævitiae suæ monumenta posteris relin-
 querent, cuncta, per quæ transibant
 loca, ferro flammaque devastarunt.

§.XXXIV.

Sæc. XVII.
 A. C. 1648.

CII.
 Cæsa-
 batis,
 , ne
 isten-
 confi-
 mes,
 ostem
 i cu-
 efen-
 eret;
 Gallo-
 Dena-
 Fri-
 gotio
 S, ne
 gere-
 cessit,
 custo-
 elius
 sub-
 vibus
 rbis-
 ctis:
 artini
 ere,
 unt,
 e res
 uam
 vna
 o ca-
 tota
 præ-
 atio-

Sæc. XVII.

A. C. 1648.

§. XXXIV.

Arx Pragensis a Königsmarchio occupata.

Jæger. hist. Eccl. l. c.
Brachel hist. temp. l. 7.
Pufendorff l. 20. sect. 4.
Et seqq.

Dum hæc in Bavaria gerebantur, Königsmarchius post Susmerhufianam cladem in superiorem Palatinatum reversus varia ibidem loca & arces, nullo ferme obsistente sibi subjecit, necnon Fürstenoviam & Widenburgum Osnabrugensis Episcopatus urbes expugnavit, violata Hamburgensis pacti lege, qua cautum, *ut neutra beligerantium pars plus juris aut facti in Civitatem & Diæcesin Osnabrugensem sibi assereret, quam id temporis habuisset.* Inde vero in vicinam Bohemiam excurrens, Deiniziam lytro, Tauffum, Glatoviam, Falckenaviam, Schuttenhofium totamque Pilsensem regionem partim ære partim direptione emunxit, atque ad invadendam Pragam animum adjecit, incitante Odoualdo Steitbergio, qui per viginti tres annos in Cæsareis castris stipendia agens, cum in prælio faucius missionem impetrasset, melioris fortunæ desperatione ad Suecos transit, ac Königsmarchio parvam, ut vocant, Pragam intercipiendi opportunitatem detexit. Hic idem die vigesima quinta Julii cum centum pediti-

ditibus hora post noctem mediam sesqui Sæc. XVII.
 secunda aggerem conscendit, atque ab A. C. 1648.
 excubitore in clamatus, mox hunc, bi-
 nosque vigiles in imum deturbavit,
 alioque speculatore trucidato, recta ad
 portam movens, tam celeriter excu-
 bias pene somno sopitas oppressit, ut
 effractis foribus ac demisso ponte Sue-
 cis extra urbis mœnia latitantibus pla-
 na irrumpendi via pateret: Hi ergo toto
 impetu in urbem involant, occupant
 forum, & obvios quosque sternunt,
 turrimque ad pontem invadunt: Kö-
 nigsmarckius quoque cum suo Equi-
 tatu pone secutus, priusquam præsi-
 diarii ad arma concurrerent, præci-
 puas stationes & munimenta, Ratschi-
 nam arcem Regiam, reliquamque Mi-
 cro Pragæ partem in suam potestatem
 redegit. Capti fuere ibidem plusquam
 ducenti ex Cæsareis Ministris, & No-
 bilibus, ipsoque Harachio Cardinale,
 aliisque Præsulibus, qui omnes capti-
 vorum more centi, profusis etiam the-
 sauris Suecorum avaritiam satiare haud
 poterant: demum per aliquot dies o-
 pulentissima hæc civitas militum de-
 prædationi relinquitur, Königsmarchio
 præprimis immensum opum rerumque
 nobilissimarum thesaurum sibi vindi-
 cante. Postmodum prospero hoc suc-
 cessu animatus veterem, novamque
 Pra-

Sæc. XVII. Pragam toto armorum apparatu obfi-
 A. C. 1648. dere cæpit: ast Coloredus præsidii Præ-
 fectus, qui ægre ex Parva in veterem
 Pragam per posticum nuper evaserat,
 non modo cives, sed cunctos ad arma
 ferenda idoneos, præcipue vero Aca-
 demicos ad strenuam urbis defensionem
 tanta verborum vi incitabat, ut Kö-
 nigsmarchius, etsi assidua tormento-
 rum explosione magnam murorum par-
 tem dejecisset, crebrisque aggressioni-
 bus & cuniculis extremum excidium
 minitaretur, infractam tamen obsesso-
 rum fortitudinem superare haud posset:
 Adduxerat quidem Wittenbergius Sue-
 cis, & Comes Bucheimius & Baro de
 Goltz Pragensibus auxilia, quæ tamen
 neutri profuere; quia obsidione ad
 ineuntem usque Novembrem protracta,
 tandem pacis in Monasteriensi Conventu
 firmatæ nuntius obsidioni, belloque fi-
 nem imposuit, non sine singulari Di-
 vini Numinis providentia, ut Bohemia,
 ejusque Metropolis Praga, quæ ante
 triginta annos sua in Ecclesiam, Cæ-
 saremq; rebellione atrocissimo huic
 bello initium dedit, eadem nunc ad
 Catholicam fidem, Cæsarisque obse-
 quium reversa huic bello exitum
 poneret.

§. XXXV.

Sæc. XVII.
A. C. 1648.*Varia Lamboii fortuna adversus
Hassos.*

Priusquam Sueci Pragam invaserant, Wittenbergius alter Suecici agminis Ductor Glogaviensem agrum in Silesia infestis excursionibus & prædicide vexabat, parique furore Olomucenses Sueci, Leodovitzo oppido in cineres redacto, Meserizienfes cives, eoquod resistere ausi essent, direptis incensisque ædibus & gravissimis exactionibus oppresserunt. Ineunte autem Majo Wittenbergius Braunam urbem inopina irruptione ad deditionem compulit, spoliatisque ædibus, ac vicinis ædificiis flamma absumptis, Camezium Monasterium, & Franckensteiniam urbem rebus omnibus exuit, demum vero prope Troppavium Cæsaream Devagii legionem, & binas Equitum turmas profligavit, potissimis aut cæsis aut captis.

Nec magis prospero armorum successu in Westphalia adversus Hassos dimicabat Guilielmus Lamboius Westphalici exercitus Dux; quamvis enim Ernestum Hassiæ Landgravium commisso prælio fudisset, atque a suis derelictum in captivitatem abduxisset, ubi

Adlcr. Annal. Boic. part. 3. l. 32. Barre hist. d' Allemagn. t. 9. p. 821.

Sæc. XVII. ubi tamen Gifecam urbem, quo se tria
 A C. 1648. circiter Hassorum millia receperant,
 iniquo prorsus tempore, ac die imbri-
 bus sædo decreta irruptione premere
 cæperat, lutuosa humo militum ve-
 stigiis inimica, obsessisque magno nu-
 mero erumpentibus, post aliquot ho-
 rarum dimicationem desideratis suo-
 rum quadringentis obsidionem solvere
 coactus est, & Bonnam contendens,
 diruta arce Bredenbendam Juliacensis
 Ducatus urbem deditioe quidem ce-
 pit, denuo tamen ab Hassis profliga-
 tus, omnem prope peditatum præter
 septendecim belli tormenta amisit, quin
 tamen hæc ipsa victoria Hassis incruenta
 fuerit; attrito enim eorum equitatu,
 & captis, cæsisque eorum non paucis
 Hassi reportatæ palmæ fructus colli-
 gere haud poterant, & nisi recenti mi-
 lite aucti fuissent, Marcodurum expu-
 gnare non valuissent, Paderbornam
 vero incassum obsederunt, eoquod il-
 lam Lamboius valido præsidio tempe-
 stive muniisset.

§. XXXVI.

Monasteriensis Conventus continuatio.

Cum interim Imperium diuturno belli
 diffidio distractum gemeret, in-
 cruento quidem, acerrimo tamen con-
 tenden-

Bougeant.
Hist. Bell.
tric. p. 3.
t. 8. & l. 9.
Adami re-
lat. Pac.
Westph. c. 28.

tendentium studio Monasterii pacis negotia urgebantur. Præprimis dudum inter partes consultatum, cuinam & ex quorum bonis satisfactio esset præstanda. Enimvero æquitatis lege Cæsari, ejusque fœderatis idonea compensatio fieri debuisset, cum hi a rebellibus subditis primo ad sumptuosum bellum inique provocati, atque innumeris damnis affecti fuissent, nihilominus prævalente Protestantium potentia potius de illorum oppressione, quam satisfactione cogitatum, & Cæsar ac Bavarus beneficii loco habere cogebantur, quod huic circulus Bavaricus pro sua militia, illi vero Austriacus pro Cæsarea assignaretur: Sueci vero, etsi a Cæsare Catholicisque minime laceffiti, ad solam Protestantium sollicitationem ultro sese bello immiscuissent, præ ceteris tamen sibi copiosius belli expensas refundi, summa importunitate postulabant, nec contenti de oblatis vicies centenis florenorum millibus, audacter per Urangelium quindecim florenorum milliones petebant: tandem vero post diuturnas nundinationes, quinque Imperialium Thalerorum milliones certis terminis numerandos extorserunt: Cuncta hæc Osnabrugæ fuerunt agitata ac decreta, id sollicitè curantibus Gallis, Suecisque,

Sæc. XVII.
A. C. 1648.

Hist. Eccles. Tom. LXI.

K k

que,

Sæc. XVII que, eoquod ambæ partes ibidem lon-
A. C. 1648. ge validiore, quam Cæsarei, auctori-
 tate & potentia valerent. Verum Mo-
 nasterienses, se neglectis, ac minime
 auditis eorum suffragiis, tanti mo-
 menti negotia fuisse conclusa quereban-
 tur, cum tamen ex hujus tractatus
 lege, uterque locus pro uno congressu
 habendus esset: quoniam vero Osnab-
 rugenses Legati utpote numero præ-
 valentes horum querelas flocci habe-
 rent, hinc Monasterienses die decima
 Junii ad Moguntinum Electorem, &
 quinto post die ad Cæsarem literas de-
 derunt, supplices, quatenus hucusque
 tam præpostere acta velut irrita decla-
 rarent, atque inhiherent, ne per Os-
 nabrugenses seorsim conclusa in com-
 munem deliberationem venirent. An-
 nuit horum petitis Imperator, iussit-
 que, Monasteriensium suffragia, non
 minus quam Osnabrugensium attendi:
 Moguntinus vero & Bavari Oratores
 Gallorum & Protestantium negotia Os-
 nabrugæ expedienda esse decreverunt.
 Obstabant Cæsaris Legati, declaran-
 tes, quod Lambergius & Cranius nul-
 lam cum Gallis conveniendi facultatem
 habeant, Volmarus autem nec solus,
 nec Osnabrugæ, sed Monasterii cum
 illis pertractare iussus esset: verum in-
 cassum omnia; Servientius enim ab-
 sente

sente Avauffio, qui sub obtentu com-
 minationis Mazarino Cardinali factæ in
 Gallias revocatus fuerat, cuncta, quæ
 circa pacis instrumentum mutanda re-
 cens exhibuerat, omnino Osnabrugæ
 expediri voluit, non alia ex causa,
 nisi quia Monasterii paucos, & forte
 nullos suis studiis addictos inventu-
 rum se noverat.

Sæc. XVII.
 A. C. 1648.

§. XXXVII.

*Nova consultatio circa articulum de
 Autonomia.*

Fervebant adhuc crebræ disceptatio-
 nes circa quosdam Episcopatus, & *Emblem. ad
 Hist. Adam. pag. 56.*
 liberum Religionis exercitium seu Au-
 tonomiam; Cæsarei enim Oratores ten-
 tabant eo inclinare Brandeburgicos, ut
 relicto Episcopatu Mindensi Brande-
 burgicus Elector tantum ex Scham-
 burgi Præfectura acciperet, quantum
 huic Episcopatu æquiparari posset:
 Verum Elector hunc Episcopatum sibi
 jam nuper concessum fuisse obtendens,
 propositam conditionem respuit, nec
 etiam Brunsvicenses a promissa in Epi-
 scopatum Osnabrugensem alternativa
 successione dimoveri poterant; ita nem-
 pe hæc Ecclesiasticorum bona veluti
 ad mortuas devenere manus, quæ
 quidquid semel apprehenderunt, nun-
 quam

Sæc. XVII. quam absque vi dimittunt. Acrius ad-
 A.C. 1648. huc Suecos pungebat Autonomia a
 Cæsare in hæreditariis suis Provinciis
 denegata: cum vero Imperator eapro-
 pter belli protrahendi minas a Suecis
 intentatas pertinæsceret, & aliunde ob
 recusatam Trautmansdorfianæ trans-
 actionis immutationem ipsos etiam A-
 micos suos offendisset, illos vero, qui-
 bus amplissima indulserat, non tam sibi,
 quam Suecis utpote Cæsarem ad indul-
 gendum compellentibus, obstrinxisset,
 hinc die duodecima Januarii per suos
 Oratores circa Autonomiam cum S.R.J.
 Electorum Legatis egit, eisdem pro-
 ponens, quod salvis nuper concessis
 conveniens foret, ut, cum in Episco-
 patibus Magdeburgensi, Hildesienfi,
 „Osnabrugensi, Mindano & Halbersta-
 „diensi, anno 1624. non solum Catho-
 „licæ Religionis, sed etiam Augustanæ
 „Confessionis exercitium publicum fuisset
 „in usu, porro etiam illud manere
 „deberet, ita quidem, ut Nobilitas &
 „subditi Episcopatus Hildesienfis, non
 „obstante transactione inter Episcopum
 „& Duces Brunsvico - Luneburgicos,
 „qua exercitium Augustanæ Confessio-
 „nis Nobilitati dictæ ad septuaginta,
 „subditis vero reliquis ad quadraginta
 „duntaxat annos permittebatur, eo-
 „dem exercitio indefinito tempore gau-
 „dere,

„dere, pariterque in possessione Eccle-
 „siarum, Scholarum, Hospitalium, eo-
 „que pertinentium bonorum, ædificio-
 „rum & proventuum, quemadmodum
 „ea ante initam transactionem habue-
 „rant, relinqui deberent, reliquis ibi-
 „dem contentis in suo vigore perma-
 „nentibus.,

Sæc. XVII.
 A. C. 1648.

Placuit omnibus hoc Cæsaris con-
 silium, exceptis Colonienfibus Legatis,
 qui quoad possessionem bonorum Ec-
 clesiasticorum, & ad ea spectantium
 transactionem anni millesimi sexcen-
 tesimi quadragesimi tertii observari pe-
 tebant, de cetero ad Catholicos uni-
 versim imo & ad Protestantes spectare
 aiebant, quid consilii eo eventu capef-
 sendum sit, si Sueci, rejecta Cæsareo-
 rum declaratione, prioribus placitis
 insisterent, proin novum Instrumentum
 non exhiberetur, donec Protestantes
 mentem suam desuper exposuissent.
 Aliquamdiu Protestantes ad ea, quæ
 Cæsarei recens indulserant, respondere
 distulerunt, ut hoc silentio ac longioris
 moræ tædio plenum in sua postulata
 assensum extorquerent, nihilominus ta-
 men die vigesima prima Januarii coram
 quibusdam Catholicis de retardato pa-
 cis negotio contra Cæsarem, & Catho-
 licorum nonnullos vehementer quere-
 bantur, eoquod Trautmansdorfianam

Sæc. XVII. transactionem temperassent, cum ta-
A. C. 1648. men in ea Catholicis reservatum Ec-
 clesiasticum, exercitium Religionis
 Augustanæ Confessionis ad annum 1624.
 restrictum, plurima cænobia Catho-
 licis relicta, multaque alia ipsi indulta
 fuerint, quæ eorum Majores nunquam
 indulgissent, ac insuper totum Suevicæ
 satisfactionis onus, prout tamen facile
 potuissent, in solos Catholicorum hu-
 meros non rejecerint, sed æqualem,
 imo & potiore partem in se su-
 scipere voluerint. Postea Protestantes
 omnino petebant, ut circa satisfactio-
 nis articulum nihil immutetur, Duci
 Megapolitano, aliisque tantum refun-
 datur, quantum ipsi in Suecorum sa-
 tisfactionem cedere cogentur, Cæ-
 nobia Wirtenbergenia, *Hortus Christi*,
Sintzheim, *Neuhaus* & alia Protestanti-
 bus relinquuntur, Augustæ, Dinckel-
 spilæ, Biberaci & Ravensburgi nihil
 immutetur, circa subditos Lutheranos,
 qui in hæreditariis Cæsaris Provinciis
 agunt, Imperator sit benignior, &
 Badensis causa continuatis tractatibus
 expediatur, ac denique Augustanæ
 Confessionis exercitium Aquisgrani per-
 mittatur, & Catholicorum subditis,
 qui post conclusam pacem Lutheri sectam
 amplexi sunt, sex anni pro emigratio-
 ne præfigantur. Hæc Protestantes lin-
 gua

„gua & calamo proferebant, ac die octa-
 „va Februarii Sueci Cæsareos urgebant, Sæc. XVII.
 „ut, ni dissolutos tractatus cernere ve- A. C. 1648.
 „lint, iis, quæ cum Trautmansdorfio
 „transacta essent, omnino subscriberent,
 „postea Protestantes totam protractæ ne-
 „gotiationis culpam in Catholicos reje-
 „cerunt. Verum hi tam iniquam crimi-
 „nationem ferendo impares, Protestan-
 „tibus respondebant, „neminem latere
 „posse Tractatum gnarum, quam
 „multa hæctenus amore pacis a princi-
 „pio eorundem in præsens momentum
 „Protestantibus indulta sint: quam mul-
 „tis Archi- & Episcopatibus, Cænobiis,
 „Foundationibus, & omni pariter actioni
 „eorum caussa, usque ad concordiam
 „Religionis renuntiatum, atque eorun-
 „dem intuitu sessiones & suffragia in
 „Comitiis Imperii Protestantibus con-
 „cessa sint: Sententiæ, ab Assessoribus
 „etiam de utraque Religione contra
 „ipsum latæ, rescissæ, aliaque indulta
 „sint, quæ majoribus nullo unquam
 „tempore in mentem venissent: quam
 „contra Protestantes a primis opinio-
 „nibus vix latum unguem potuerint
 „dimoveri. Serio igitur perpenderent,
 „hanc duntaxat eorum duritiem paci
 „obstitisse, & licentiam fecisse Coronis
 „adversariis, in imperio grassandi: Ca-
 „tholicos nec unquam approbasse In-

Sæc. XVII. „strumentum Trautmansdorfianum, nec
 A. C. 1648. „eos ad probandum illud fuisse obstri-
 „ctos, cum nullam unquam in Cæsareos
 „tractandi aut concludendi contulerint
 „potestatem aut facultatem, nisi limi-
 „tatam. A veritate alienum esse aj-
 „bant, quod Catholici in hoc Tractatu
 „minus graventur, quam Protestantes:
 „nam non per hunc, sed per Ecclesia-
 „sticum Reservatum, aliosque Pacis
 „Religiøsæ Articulos diu antehac pro-
 „visum fuisse Catholicis, eorumque bo-
 „nis Ecclesiasticis, idque quandoqui-
 „dem tunc pluribus aliis per Protestan-
 „tes occupatis renuntiassent, Sueci-
 „cam quoque Satisfactionem ex bonis
 „Ecclesiasticis, quæ omni jure ad Ca-
 „tholicos alias spectant, maximam par-
 „tem desumptam esse. Porro Catho-
 „licos nihil contrarium statuere existi-
 „mationi, aut conscientiæ Protestan-
 „tium moliri, quia contentissimi fuif-
 „sent, dummodo non id vexationibus
 „Catholicorum & obtrusione suæ Con-
 „fessionis moliti fuissent, & vel hodie
 „molirentur Protestantes.„ Ergo ut
 „saltem Cæsareanorum novissimæ ulti-
 „mæque declarationi acquiescere vel-
 „lent, instabant Catholici illi, qui eam
 „cum Cæsareis amplectebantur: jam e-
 „nim aliqui insolitam hanc in Imperio
 „procedendi rationem pertæsi, maxime,
 „quod

quod nonnunquam præsentiam suam Sæc. XVII.
 in consultationibus publicis data opera A. C. 1648.
 negligi existimarent, Monasterium fue-
 rant regressi: alii quidam, licet Osnab-
 rugæ remanerent, ipsammet adhuc Cæ-
 sareorum declarationem respuebant.
 Insuper Catholici haud immerito ad-
 versus Protestantes querebantur, eo-
 quod nulla hætenus securitatis firmi-
 tate cum illis transigere potuerint, id-
 que non modo vetustæ Pacis Religio-
 nis, sed etiam recentioris Transactionis
 Pragensis, Pactorum Wirtembergico-
 rum, Badensium, Hildesensium, alio-
 rumque cum Cæsare aut Catholicis
 initorum, quæ pro libitu fere violata
 fuere, exemplis comprobatum redde-
 rent. Nihilominus ipsis Catholicis inter
 se dissidentibus, circa Autonomiam
 Cæsarei Protestantibus novum propo-
 nebant articulum ejusdem tenoris,
 prout in instrumento Pacis Osnabru-
 gensi §. 30. legitur, excepto, quod ad
 Suecorum & Protestantium postulata
 pro Catholicorum Statuum subditis
 sectæ libertas etiam ad privatum, nec-
 non ad longum usum conniyente Su-
 periore introductum, fuerit extensa.
 Nullatenus autem Cæsarei induci po-
 terant, ut in Austriæ Provinciis & Bo-
 hemiæ circulis Templum, sectæque
 usum Lutheranis indulgerent.

Sæc. XVII.
A. C. 1648.

§. XXXVIII.

Pax tandem confecta.

*Adam. rec-
lat. l. c.*

Complanatis hisce difficultatibus, Cæsaris Oratores æqualem omnino Cæsareæ militiæ ac Suecicæ satisfactionem præstari petebant, quibus tamen responsum, quod „Imperium ad „tantas sit redactum angustias, ut il- „lud vix Suecicam satisfactionem sol- „vendo par esset, aliunde vero Im- „perii Ordines non ex hæreditariis „Ferdinandi ditionibus, sed ex septem „Imperii circulis Suecorum satisfactio- „nem esse extorquendam statuissent, „etsi Sueci non tam Imperium, quam „Aufriacam Domum pro hoste habuif- „sent:„ Postea variæ difficultates circa Amnestiam, Badensis & Hassorum satisfactionem, &c. fuerunt expeditæ, tandemque totum pacis instrumentum est confectum, cui tamen Cæsaris Oratores subscribere renuebant, donec de Suecorum quoque subscribendi voluntate, & Monasteriensium suffragio constaret; quamvis enim Osnabrugenses palam contestati essent, quod nequam Monasterienses Legatos contemnendi, eorumque libertatem & suffragii jura violandi proposito, sed duntaxat compellente rei necessitate Osnabru-

nabrugæ privatos hosce tractatus cum Sæc. XVII.
 Sueco - Gallis iniissent, nihilominus A. C. 1648.
 Monasterienses, ipso Cæsare a Gallis
 Oratoribus proposita alibi quam Mona-
 sterii discuti iterum iterumque prohi-
 bente, adversus hucusque Osnabrugæ
 decreta reclamant, promulgata so-
 lemni oppositione, cui quadraginta se-
 ptem Imperii Ordines subscripserant, &
 Osnabrugensibus exprobrabant, quod
 nonnisi paucissimi de communi Imperii
 salute, in ceterorum contemptum cum
 exteris tractare & disponere præsume-
 rent, sibi que temere omnium Electo-
 rum, Principum & Statuum nomen ar-
 rogare, Cæsaris auctoritatem in con-
 spectu suorum Oratorum etiam reniten-
 tium, privatis pactis, & promissis præ-
 vertere, suis Con - Statibus numero
 potioribus collectas indicere, eos ho-
 stibus Imperii tributarios constituere,
 pluraque alia contra Germaniæ liber-
 tatem decernere auderent, quæ tamen
 ipsemet Cæsar vix, aut certe nonnisi
 cum universis Imperii Ordinibus tenta-
 turus esset. Verum Osnabrugenses ho-
 rum oppositionem, pluraque alia scri-
 pta hanc in rem in vulgus sparsa flocci
 habebant, eoquod Moguntinus & Ba-
 varus hac in parte cum Gallis, & Pro-
 testantium & Catholicorum potissimis
 consentiret, & nonnisi Coloniensis, Sa-
 lisbur-

Sæc. XVII A. C. 1648. lisburgensis & Neoburgicus Oratores
 obsisterent, qui aut Monasterium re-
 peti, aut controversa capita quidem
 Osnabrugæ discuti, Monasterii autem
 concludi suadebant. Nulla autem ho-
 rum habebatur ratio: præterea Sueci
 Gallique, eisque adhærentes Osnab-
 brugæ varias difficultates circa Cæsa-
 ris titulos, Gallicam satisfactionem,
 Alsaticorum Statuum libertatem, nec-
 non Hispanis & Lotharingis opem con-
 tra Gallos ferendi repulsam deciderunt,
 comminantes viginti adhuc annorum
 bella, nisi Cæsarei consentirent. Re-
 sistabat igitur unice, ut hisce conclusis
 etiam Monasterienses & Cæsarei acce-
 derent; censebant nonnulli, pacta &
 promissa etiam sine Cæsaris consensu
 esse firmanda, potissimi tamen absque
 ejusdem consensu solidam pacem obti-
 nere desperabant, & ipsemet Saxonix
 Elector, necnon Servientius Francix,
 & Salvius Suecix Oratores palam de-
 clararunt, quod Cæsarem, cum sit su-
 premum Imperii caput, in tractatibus
 ipsum concernentibus præterire, ini-
 quum foret: desiderabat quoque Ser-
 vientius Orator, ut pacis instrumento
 clausula de religione Catholica in Pa-
 latinatu inferiore conservanda inferere-
 tur, vehementi tamen omnium Prote-
 stantium oppositione territus, mox a
 suo

fuo petito destitit. Demum confecta
 pacis instrumenta, Suecicum & Gal-
 licum penes Moguntinum suis chiro-
 graphis & sigillis munita deponebantur:
 reclamabant vero Cæsaris Oratores, qui
 Monasteriensibus sua jura infringi no-
 lebant: Ergo Osnabrugenses, atque in-
 ter eos potissimum Gallus, Suecus,
 Electorales, & Principum, Statuum-
 que Legati die decima octava Septem-
 bris Monasterium regredi decernunt,
 ubi privati cum Gallis congressus cul-
 pam obtenta necessitate excusare in-
 tenti, Cæsareos rogabant, ut Impera-
 toris nomine cuncta Osnabrugæ de-
 creta suo comprobarent suffragio, hanc-
 que in rem Gallicum instrumentum eis-
 dem tradidere, illudque Monasterien-
 sibus communicari consenserunt, ea ta-
 men lege, ut ipsi nihil in illo in dubium
 vocare, immutare, vel rejicere pos-
 sent: reclamabant tamen non modo
 Cæsarei, sed & Hispani, Burgundi,
 & ex Monasteriensibus omnes: gravif-
 sima etiam movebatur difficultas con-
 tra articulum, quo Cæsar, Domusque
 Austriaca Hispanis suppetias contra
 Gallos ferre prohibebatur: cum autem
 una omnes, imo ipse etiam Saxoniz
 Elector, qui antea hunc articulum de-
 testabatur, ob solam hanc difficultatem
 pacis negotium retardari indignaren-
 tur,

Sæc. XVII.
 A. C. 1648.

Sæc. XVII. tur, & nonnulli datis ad Cæsarem a-
 A. C. 1648. cerbioribus literis totum tractatum re-
 scindi, si Imperator, quæ Osnabrugæ
 conclusa fuere, approbare differret,
 comminati essent, hinc Cæsar a poten-
 tioribus Catholicis desertus, tandem
 & ipse consentire coactus est. Igitur
 die vigesima quarta Octobris una ea-
 demque hora Sueci Lambergium &
 Craneum, & Galli Nassovium & Vol-
 marum Cæsaris Legatos accessere, per-
 lectisque Instrumentis Cæsarei primum,
 postea Regum, Principumque Legati,
 ac denique Statuum Deputati suscri-
 pserant: Ne vero privatorum opposi-
 tionibus confectæ pacis vigor infringe-
 retur, instrumentis addere placuit,
*ut nulla omnino contra eadem protestatio
 aut contradictio locum aut robur invenire
 debeat.*

§. XXXIX.

*Iterata Fabii Chisi Nuntii Aposto-
 lici protestatio contra hanc
 pacem.*

*Bougeart
 Rel. Pac.
 Westph. t. 4.
 lib. 10.*

Ejusdem diei Vespere hæc pax Cæ-
 sareum inter & Principes sancita
 præprimis festiva tormentorum explo-
 sione, altera autem die per platearum
 compita præconum voce ac sonantibus
 tubis, tympanisque ab urbis Secreta-
 rio

rio tam Monasterii quam Osnabrugæ Sæc. XVII.
A. C. 1648.
 fuit promulgata, missis ad Cæsarem, Regesque Legatis, qui hosce articulos ab eis intra bimestre ratos haberi, eorumque executionem promoveri saterent. Verum Fabius Chisius Papæ Nuntius acriter sese opposuit, suumque nomen in Monasteriensi pacis instrumento ob illata Religioni damna apponi noluit, ac primo quidem die decima quarta Octobris adversus omnia in veræ fidei, Ecclesiæ & salutis animarum præjudicium Osnabrugæ decreta palam reclamabat, edito hoc diplomate.

„Ego Fabius, Dei & S. Sedis gratia Episcopus Neritonensis ac Nuntius Apostolicus, omnibus & singulis, quorum interest, veritatis documentum, ac salutem in Domino sempiternam. Quamvis extraordinarii muneris mei, ab Apostolica Sede mihi commissi, cura, eam solum, de qua Monasterii inter Catholicos agitur, pacem concernat; extraordinariæ tamen legationis officio mihi pariter ab eadem Sede apostolica injuncto attendere debeo, & cavere, ne etiam alibi, ac præfertim intra ejusdem legationis limites, Dei Ecclesia atque Apostolica Sedes, in suis bonis, juribus, immunitatibus, privilegiis, & quod cæput

Sæc. XVII.
A. C. 1648

„put est, in divino cultu ac salute ani-
 „marum detrimentum accipiat. Qua-
 „propter eos Principum ac Statuum
 „catholicorum Legatos Osnaburgi cum
 „Acatholicis pacem tractantes, requi-
 „rere, admonere, hortari, obtestari
 „non desistebam oretenus, antequam se
 „eo conferrent, tum litteris postmodum,
 „aliisque adhortationibus, ut ubique,
 „& in omnibus Catholicæ religioni,
 „animarum saluti, Apostolicæ Sedi,
 „ejusque dignitati & immunitati con-
 „fulerent, ac Dei potius protectioni,
 „caussæque bonitati magis, quam po-
 „liticis rationibus confisi, nihil prorsus,
 „a dictis regulis divino humanoque jure
 „præscriptis alienum admitterent: Si
 „quid vero in contrarium ab eorum non-
 „nullis fieret, non tantum omnem con-
 „sensum, favorem, & conniventiam per-
 „me denegari, sed palam etiam con-
 „tradici, atque acriter repugnari.
 „Quemadmodum, si quid contra atten-
 „tatum fuisse accepi, obstiti & omni
 „studio, quantum in me fuit, impe-
 „dire, corrigere, & in melius refor-
 „mare conatus sum.,

„Cum vero his non obstantibus, in
 „dicta urbe Osnabrugensi de pluribus
 „pacis articulis seu conditionibus inter
 „quosdam Legatos conventum fuisse
 „dicatur, post christianissimi Regis Gal-
 „lia

„liarum, ac aliquot Statuum Imperii Sæc. XVII.
 „Legatorum ad hanc urbem adventum, A. C. 1648.
 „quæ Dei honori, Ecclesiæ, Saluti a-
 „nimarum atque Apostolicæ Sedi gra-
 „ve damnum ac præjudicium creent,
 „id, quod reliquum mihi est, facio,
 „omnibusque ejusmodi articulis & sin-
 „gulis, ac si de verbo ad verbum hic
 „forent expressi, nomine S. Sedis Apo-
 „stolicæ ac S. Patris nostri Domini In-
 „nocentii divina providentia Papæ de-
 „cimi, aperte ac palam per patens hoc
 „testimonium repugno, resisto, & con-
 „tradico, atque omni meliori modo,
 „via, caussa & forma, quibus pro of-
 „ficii mei ratione teneor ac possum,
 „protestor, eos esse irritos, nullos, ini-
 „quos ac per non habentes potestatem
 „temere contractos, atque pro talibus
 „ab omnibus habendos. „

„In quorum fidem & perpetuam me-
 „moriam idem testimonium manu mea
 „subscriptum, ac majori sigillo muni-
 „tum volui. „

„Datum Monasterii Westphalorum in
 „aula Residentiæ nostræ apud Mi-
 „noritas, die decima quarta
 „Octobris Anno post Christum
 „natum millesimo sexcentesimo
 „quadragesimo octavo. „

Hist. Eccles. Tom. LXI. LI Cum

Sæc. XVII.

A. C. 1648.

Cum autem idem Papæ Nuntius in-
 superhabita sua oppositione cunctos pa-
 cis articulos ab omnibus paciscentium
 Principum Legatis signari cerneret,
 ne suo silentio consensisse argueretur,
 rursus die vigesima sexta ejusdem Men-
 sis suam interposuit oppositionem, vul-
 gato eam in rem hoc rescripto. „Ego
 „Fabius, Dei & sacræ Sedis gratia Epi-
 „scopus Neritonensis ac Nuncius Apo-
 „stolicus, omnibus & singulis chiro-
 „grapho hoc notum atque testatum fa-
 „cio, me tum jussu Pontificis ac mune-
 „ris mihi demandati intuitu, tum pro-
 „priæ, Deo dante, voluntatis propen-
 „sione, in tractatu pacis generalis in-
 „ter Christianos Principes hac in Civi-
 „tate sancientæ, nihil unquam præ-
 „termisisse eorum, quæ ad illam con-
 „ciliandam, justeque ac firmiter stabi-
 „liendam, conducere in Domino visa
 „sunt. Quoniam vero ex Evangelica
 „doctrina hæc justitiæ regula est, ut,
 „quæ sunt Cæsaris, reddantur Cæsari,
 „Et quæ sunt Dei, Deo: (cæteris, quæ suo-
 „rum sunt Principum, satagentibus)
 „ea mihi præcipue cura atque sollici-
 „tudo incubuit, ne quæ Dei, quæ
 „Christi, quæ catholicæ Religionis at-
 „que Ecclesiæ sunt, ob ullam hominum
 „cupiditatem vel metum quidquam
 „damni aut detrimenti acciperent, sed
 „starent

„starent instar firmissimæ petræ, adver- Sæc. XVII.
 „sus quam infernales portas nunquam A. C. 1648.
 „prævalituras Dominus noster sua no-
 „bis promissione fancivit. Id denique
 „tota animi corporisque contentione
 „hactenus egi, ut haud aliis pactis mor-
 „taliū Principum arma quiescerent,
 „quam, quæ Deum optimum maxi-
 „mum ad graviora contra nos bella
 „suscitanda, non irritarent. Quamob-
 „rem si quando inter agendum cum
 „Catholicorum Principum ministris
 „proponi aliqua, sive judicari, aut in-
 „volvi audivi, quæ directe aut indi-
 „recte Catholicæ Religionis conserva-
 „tioni, dignitati, immunitati, propa-
 „gationi & incremento vel in minimo
 „adversarentur, non tantum omnem
 „consensum, favorem, patientiam, con-
 „niventiam denegavi; sed palam ob-
 „stiti, aperte acriterque repugnavi, &
 „omni studio, quantum in me fuit,
 „impedire, corrigere, & in melius re-
 „formare conatus sum. Huc nempe
 „spectabat solennis protestatio per me
 „sæpius interposita, quod, si quæ in
 „punctis sive articulis ibidem proposi-
 „tis aut proponendis essent, aut con-
 „tinerentur, quæ salvo honore & jure
 „Ecclesiæ Romanæ, ac cum integra
 „Religionis catholicæ dignitate ac pie-
 „tate ad animos Christianorum Prin-
 „cipum

Sæc. XVII. „cipum inter se componendos facerent,
 A. C. 1648. „seu facere viderentur, ea impugnare
 „aut impedire nullatenus intenderem;
 „si quæ vero quoquo modo facerent,
 „aut facere possent, contra Romanam
 „Ecclesiam & sanctam Religionem, ei-
 „que aliquod præjudicium adferrent,
 „illa extreme rejicerem, detestarer,
 „damnarem, & pro invalidis, nullis,
 „iniquis ac *per non habentes potestatem*
 „attentatis haberem, ac declararem.
 „Quam protestationem præmissam, in
 „quolibet actu vel conventu coram me
 „facto vel faciendo repetitam, om-
 „niumque tractatum initio, medio,
 „fine, ac toties quoties oportuisset,
 „replacitam haberi volui, intendi, e-
 „dixique, omnibus melioribus modo,
 „via, jure, causa & forma, quibus
 „pro officii mei ratione & poteram &
 „debebam. Quod Principum ac Sta-
 „tuum catholicorum Ministri, cum qui-
 „bus tantum egi, sive coram sive per
 „litteras, ac Serenissimæ Reipublicæ
 „Venetæ Orator *Aloysius Contarenus*
 „Eques, qui plerumque interfuit, te-
 „stari possunt: ac latius ac specialius,
 „si opus fuerit, loco & tempore con-
 „gruis & opportunis, declarabitur. In-
 „super, ne contra protestationes præ-
 „missas, ac subinde compluribus in-
 „sinuatas, vel sola mea præsentia po-
 „stre-

„stremis hisce tractatibus ac pacis con- Sæc. XVII.
 „clusioni aliquid roboris aut assensus A. C. 1648.
 „adjicere videretur; clara rursus & per
 „se nota veritas est, quod subduxerim
 „me aliquoties, ac ejusdem pacis sub-
 „scriptioni noluerim interesse; Inau-
 „diens ac dolens, in plurimis ac gra-
 „vissimis momentis eam catholicæ Re-
 „ligioni fore damnosam. Ideoque prio-
 „ribus Protestationibus meis, modo
 „iterum via ac jure quam optimis, re-
 „productis, de præsentis fortius inhæ-
 „rere me profiteor, omnem etiam pul-
 „visculum de pedibus excutiens, qui
 „commune quidquam habere possit vel
 „cum minimo præjudicio Sacræ Sedis
 „ac catholicæ Religionis: pro qua, uti
 „teneor, ita per Dei gratiam promptum
 „me declaro & exhibeo, ad vitam &
 „sanguinem profundendum.,”

„Ad quorum omnium & singulo-
 „rum ampliorem diuturnioremque no-
 „titiam atque evidentiam, apud ab-
 „sentes quoque & posteros adstruen-
 „dam, testimonium hoc patens ac pu-
 „blicum extare volui, manu mea sub-
 „scriptum, & majore meo sigillo mu-
 „nitum.,”

Sæc. XVII.
A. C. 1648.

§. XL.

*Summi Pontificis oppositio adversus
hanc pacem.*

Postquam vero summus Pontifex Innocentius X. cunctas sui Nuntii Apostolici oppositiones flocci haberi compererat, hinc sui muneris esse censuit, ut, sicut quondam Pius V. contra Religiosæ pacis executionem reclamabat, ita & nunc Innocentius X. cuncta Religioni Catholicæ, Sedi Apostolicæ, Ecclesiis aliisque locis piis ac Personis, & juribus Ecclesiasticis nociva velut irrita & nulla declararet. Igitur hanc in rem primo die vigesima sexta Novembris hoc anno edidit Constitutionem, quam biennio post ejusdem Mensis die confirmavit, & sequenti anno die tertia Januarii consueta solemnitate publice affigi jussit, hujus autem Bullæ summa erat sequens :

„Sane cum intimo doloris sensu
„accepimus, quod per plures annos
„Osnabrugis die sexta Augusti Anno
„millesimo sexcentesimo quadragésimo
„octavo inter Charissimum in Christo
„filium nostrum FERDINANDUM,
„Romanorum Regem & Imperatorem
„electum cum suis Fœderatis & Ad-
„hærentibus ex una, ac SUECOS
„cum

„cum eorum itidem Fœderatis & Ad- Sæc. XVII.
 „hærentibus ex altera, necnon alte- A. C. 1648.
 „rius Pacis Monasterii Westphalorum
 „die vigesima quarta Octôbris ejusdem
 „Anni quadragesimi octavi inter eun-
 „dem FERDINANDUM, Romanorum
 „Regem & Imperatorem electum, cum
 „suis pariter Fœderatis & Adhærenti-
 „bus ex una, atque Charissimum etiam
 „in Christo filium nostrum LUDOVI-
 „CUM Francorum Regem Christianif-
 „simum, cum suis similiter Fœderatis
 „ex altera partibus, respective inita-
 „rum, Articulos, gravissima Religioni
 „Catholicæ, divino cultui, Sedi apo-
 „stolicæ & Romanæ, ac inferioribus
 „Ecclesiis, Ordinique Ecclesiastico, ac
 „jurisdictionibus, auctoritatibus, im-
 „munitatibus, libertatibus, exemptio-
 „nibus, privilegiis, pactis, turnis, ac
 „juribus illorum illata fuerint præ-
 „judicia.,,

„Etenim pactioibus partim utrius-
 „que, partim alterius pacis hujusmodi,
 „inter alia bona Ecclesiastica, aliaque
 „ab hæreticis occupata illis eorumque
 „successoribus in perpetuum addicun-
 „tur; hæreticis augustanæ, ut vocant,
 „confessionis liberum suæ hæreseos exer-
 „citium in plerisque locis permittitur,
 „& locorum pro ædificandis ad hunc
 „effectum templis assignatio permitti-

Ll 4

„tur;

Sæc. XVII. „tur; ipsique cum Catholicis ad pu-
A. C. 1648. „blica munia & officia, ac ad nonnul-
 „los Archiepiscopatus, aliasque digni-
 „tates, & beneficia Ecclesiastica, pre-
 „cumque primariarum, FERDINAN-
 „DO in Imperatorem electo a præfata
 „Sede apostolica concessarum, partici-
 „pationem admittuntur; Annatæ, jura
 „pallii, confirmationes, menses papa-
 „les, & hujusmodi jura & reservatio-
 „nes, in bonis Ecclesiasticis dictæ con-
 „fessionis augustanæ excluduntur; con-
 „firmationes electionum, seu postula-
 „tionum prætenforum Archiepisco-
 „porum, Episcoporum, aut Prælatorum
 „ejusdem confessionis, potestati sæcu-
 „lari attribuuntur plures Archiepisco-
 „patus, Episcopatus, Monasteria, Præ-
 „posituræ, Balliviæ, Commendæ, Ca-
 „nonicatus, & alia beneficia, & bona
 „Ecclesiastica, Principibus hæreticis
 „eorumque hæredibus, etiam sublata
 „denominatione Ecclesiastica, in feu-
 „dum perpetuum sub dignitatis sæcu-
 „laris titulo conceduntur; contra pa-
 „cem hujusmodi, ullumve ejus articu-
 „lum, nulla jura canonica vel civilia,
 „communia, specialia, Conciliorum
 „decreta, Religiosorum Ordinum regu-
 „las, juramenta, aut concordata cum
 „Romanis Pontificibus, ullave alia sta-
 „tuta, sive politica sive ecclesiastica,
 „de-

„decreta, dispensationes, absolutiones, Sæc. XVII.
 „aut alias exceptiones allegari, audiri A. C. 1648.
 „vel admitti debere disponitur: Nume-
 „rus septem Electorum Imperii Apo-
 „stolica auctoritate præfinitus, sine no-
 „stro & Sedis præfatæ beneplacito au-
 „getur, & octavus Electoratus in fa-
 „vorem CAROLI LUDOVICI Comi-
 „tis Palatini Rheni hæretici instituitur;
 „aliaque multa, quæ pudet referre,
 „Orthodoxæ Religioni Sedique præ-
 „fatæ, Romanæ & inferioribus Eccle-
 „siis, cæterisque præmissis, summo-
 „pere præjudicialia & damnosa de-
 „cernuntur. „

„Et quamvis venerabilis frater Epi-
 „scopus Neritonensis, noster & Sedis
 „præfatæ ad Tractatum Rheni & infe-
 „rioris Germaniæ partes Nuncius ex-
 „traordinarius in executionem manda-
 „torum nostrorum, fuerit palam nostro,
 „& ejusdem Sedis apostolicæ nomine
 „protestatus: ejusmodi articulos esse
 „irritos, nullos, iniquos, ac per non
 „habentes potestatem temere contra-
 „ctos, atque pro talibus ab omnibus
 „habendos; ac notissimi juris sit, quam-
 „cunque transactionem, seu pactionem
 „in rebus Ecclesiasticis sine præfatæ
 „Sedis auctoritate factam, nullam, nul-
 „liusque roboris & momenti existere;
 „Attamen quo efficacius præmissorum

Sæc. XVII. „indemnitati consultum sit, pro com-
A. C. 1648. „missi nobis ex alto pastoralis officii
 „debito, providere volentes, ac instru-
 „mentorum utriusque pacis hujusmodi,
 „omniumque in aliis contentorum, cæ-
 „terorumque hic etiam necessario ex-
 „primendorum & inferendorum, teno-
 „res etiam veriores & datas, ac si de
 „verbo ad verbum infererentur, præ-
 „sentibus pro plene & sufficienter ex-
 „pressis & insertis habentes; motu pro-
 „prio, ac ex certa scientia, & matura
 „deliberatione nostris, deque Aposto-
 „licæ potestatis plenitudine, prædictos
 „alterius seu utriusque pacis hujusmodi
 „articulos, cæteraque in dictis instru-
 „mentis contenta, quæ Catholicæ Re-
 „ligioni, divino cultui, animarum sa-
 „luti, eidem Sedi apostolicæ, Romanæ
 „& inferioribus Ecclesiis, ac Ordini &
 „Statui ecclesiastico, illorumque per-
 „sonis, membris, rebus, bonis, juris-
 „dictionibus, autoritatibus, immu-
 „nitatibus, libertatibus, privilegiis,
 „prærogativis & juribus quibuscunque
 „quomodolibet officiunt, seu præjudi-
 „cium etiam minimum afferunt, aut
 „inferre seu intulisse, & alias nocere
 „aut nocuisse, quomodo dici, intelligi,
 „prætendi vel caussari possunt, cum
 „omnibus inde secutis, & quomodo-
 „cunque sequendis, ipso jure nulla,
 „irri-

„irrita, invalida, injusta, damnata, Sæc. XVII.
 „reprobata, inania, viribusque & ef- A. C. 1648.
 „fectu vana, omnino fuisse, esse, &
 „in perpetuum fore; neminemque ad il-
 „lorum, & cujuslibet eorum, etiamsi
 „juramento vallata sint, observantiam
 „teneri: neque ex illis cuiquam ali-
 „quod jus, vel actionem, aut titulum
 „coloratum, vel causam præscribendi,
 „etiam si longissimi, & immemorialis
 „temporis possessio, etiam circa ullam
 „interpellationem seu interruptionem
 „subsequatur, acquisitum fuisse, nec
 „esse, minusve ullo tempore acquiri
 „& competere posse, neque illa ullum
 „statum facere vel fecisse: atque per-
 „inde, ac si nunquam emanassent, pro
 „non exstantibus, & non factis perpe-
 „tuo haberi debere: tenore earundem
 „præsentium decernimus & decla-
 „ramus. „

„Et nihilominus ad abundantio-
 „cautelam, & quatenus opus sit, ar-
 „ticulos præfatos, aliaque præmissa,
 „ut præfertur, præjudicialia, motu,
 „scientia, & deliberatione & potestatis
 „plenitudine, penitus damnamus, re-
 „probamus, annullamus, cassamus,
 „viribusque & effectu vacuumus; &
 „contra illa, deque eorum nullitate co-
 „ram Deo protestamur. Et quatenus
 „itidem opus sit, easdem, Sedem a-
 „postro-

Sæc. XVII. „postolicam, Romanamque & inferiores
A. C. 1648. „Ecclesias, ac quælibet loca pia, &
 „quascunque personas Ecclesiasticas,
 „adversus illa, in integrum ac pristi-
 „num, etiam in quo ante prædictam
 „& quascunque alias assertas, seu præ-
 „tensas anteriores transactiones, pa-
 „ctiones, seu conventiones circa præ-
 „missa, ubicumque & quomodocunque
 „factas, erant, statum restituimus, re-
 „ponimus, ac plenarie redintegramus.

Hæc summi Pontificis protestatio minime petebat transigentes Principes Catholicos, qui ad tolerandam sectarum libertatem, Episcopatum translationem, aliaque Ecclesiæ damna permittenda per diram necessitatem coacti excusabantur, nec ipsi, sed Protestantes harum iniquitatum causæ existerant, ac propterea Pontifex in sua Bulla adversus ejusdem Bullæ transgressores vel paciscentes nullam anathematis comminationem subjecit: Voluit tamen & debuit jus suum, quod ipsi invito, non consentienti, nec rogato ablatum fuit, saltem protestando & ad futura tempora factum servare, ne suo silentio Protestantibus extorta indulgere, suisque juribus renuntiare videretur. Porro hujus Pontificiæ Protestationis æquitatem, utilitatem, & necessitatem contra Sectariorum cavil-
 latio-

lationes & calumnias solide vindica-
runt Scriptores Catholici, atque inter
eos novissime Clarissimus Vir Ichstat-
tius in tomo 2. opusc. juridicorum
pag. 320.

Sæc. XVII.
A.C. 1648.

§. XLI.

*Instrumentum Cæsareo-Suecicum seu
Osnabrugense.*

Convenerant, ut memoravimus, Cæ-
sarei Oratores cum Suecis & Pro-
testantibus Osnabrugæ, Monasterii ve-
ro iidem cum Suecis & Gallis: inde
duplex ortum est pacis instrumentum,
quorum primum Cæsareo-Suecicum
seu Osnabrugense, alterum vero Cæ-
sareo-Gallicum sive Monasteriense ap-
pellatur: utrumque vero vim sanctio-
nis Pragmaticæ, legisque fundamen-
talis in Germania obtinet, firmamque
ac perpetuam normam non modo in
politicis, sed & Ecclesiasticis, ac Re-
ligionum controversiis constituit, donec
*de Religione Christiana vel universaliter,
vel inter status immediatos & subditos mu-
tuo consensu aliter erit conventum, aut per
Dei gratiam de Religione ipsa & Religio-
nis dissidiis convenerit, Religionisque con-
troversie per amicabilem compositionem fue-
rint sublatae, uti ipsamet acta loquun-
tur: Sub hac spe Paciscentes Religio-*
nem

*Just. Pac.-
Osnabr.*

Sæc. XVII. nem Protestantium, non quidem ap-
 A. C. 1648. probarunt, tolerarunt tamen, & juris-
 dictionem Diæcesanam & Ecclesiasti-
 cam in Augustanæ Confessionis Status,
 & subditos nequaquam *sublatam*, sed
 tantum *suspensam* voluere. Quoniam
 vero utrumque pacis Instrumentum
 passim omnium manibus territur, in-
 stituti nostri ratio duntaxat deposcit,
 ut ea, quæ circa Religionem, Eccle-
 siam, & Ecclesiasticorum bona, jura-
 que fuerunt sancita, succincte ad-
 uocamus.

Igitur Osnabrugense Instrumentum,
 quod præcipuum in Germania obtinet
 usum, septendecim complectitur arti-
 culos, in quorum primo pax Christia-
 na universalis & perpetua inter Cæsa-
 rem, Galliæ, Hispaniæ, & Sueciæ
 Reges constituta est, in secundo Am-
 nestia, seu oblivio omnium hostiliter
 actorum, in tertio ex ejusdem Amne-
 stia capite omnes, qui quovis pacto
 ab alterutra parte læsi fuerunt, tam
 in sacris quam in profanis (salvis juri-
 bus quibuscunque) pristino restituun-
 tur juri, quo *ante motus Bohemicos* (*)
 gavisi

(*) His verbis non intelligitur præcise an-
 nus 1618. proin hic non est regulativus annus
 pro obtinenda restitutione, aut firmanda pos-
 sessione.

gavisi sunt. Articulus quartus com-
 plectitur eos, qui pristinis juribus &c. Sæc. XVII.
 A. C. 1648.
 restituti fuere, & quidem Palatinis
 unacum octavo Septemviratu Palati-
 natus inferior reddebatur, salva Maxi-
 miliano Bavaro ejusque masculis hæ-
 redibus lineæ Wilhelminæ dignitate
 Electorali, Palatinatu superiore & co-
 mitatu Cham. idem vero Elector re-
 nuntiabat debito tredecim millionum,
 & juri in Austriam superiorem: ita ta-
 men, ut deficiente hac linea, super-
 stite Palatina, Palatinatus superior &
 Electoratus, octavo tunc extinguen-
 do, ad Palatinos redeat, jura tamen
 al'odialibus Bavari hæredibus refer-
 vata maneant, sitque Protestantibus,
 ac præcipue Oppenheimensibus, qui
 in possessione Templorum anno 1624.
 fuerunt, ceterisque id desiderantibus
 sectam publice & privatim exercere
 liberum: sicut & Bipontinus Princeps
 cænobium Hornbach, & Leopoldus
 Rheni Palatinus Comes Veldenzium,
 eodem jure, quo eorum Parentes ha-
 buere, tam in Ecclesiasticis quam Po-
 liticis recipiant, & Wirtenbergica Do-
 mus in omnia bona & jura tam sæcu-
 laria quam sacra ante motus Bohemi-
 cos possessa restituatur. Plures insu-
 per alii Principes hujus restitutionis
 beneficium adepti fuerunt. Porro in
 arti-

Sæc. XVII. articulo quinto post confirmatam trans-
A. C. 1648. actionem Passaviensem, & pacem Re-
 ligiosam sancitur in utriusque Religionis
 Statibus æqualitas mutua, ita quod uni
 parti justum est, alteri etiam justum sit,
 omnisque violentia vel via facti exu-
 let: dein terminus restitutionis *bono-
 rum Ecclesiasticorum immediatorum* ex ca-
 pite gravaminum Religionis *pro imme-
 diatis Imperii Statibus & Landsais* ac
 Protestantibus subditis sub Principe Ca-
 tholico degentibus statuitur dies pri-
 ma Januarii anni 1624. pro restituti-
 one autem subditorum diversæ Religio-
 nis in terris Catholicorum terminus est
 quælibet pars seu hora præfati anni:
 Ceterum hic articulus præcipue rebus
 Catholicis oppido exitialis fuit; Eccle-
 sia enim Catholica stabilito hoc resti-
 tutionis termino quamplurimos Epi-
 scopatus, Monasteria, Ecclesias, Be-
 neficia sacra, Tempa, aliaque loca
 pia & Religiosa ab immemoriali tem-
 pore quiete possessa Protestantibus non
 ex alio, quam præpotentiæ titulo ce-
 dere aut reddere coacta est, Statutum
 insuper, ut Augusta, Dinckelspila,
 Biberacum, & Ravensburgum bona,
 jura, & Religionis exercitium præ-
 fati anni, dieique retineant, servata
 tamen in Senatu & muneribus publi-
 cis æqualitate, æqualique Senatorum
 nume-

numero. Pro Augustana autem Urbe Sæc. XVII.
A. C. 1648.
 conventum est, ut duo simul essent Ur-
 bis Præsides, seu Duumviri, unus Ca-
 tholicus, alter Lutheranus, tres secre-
 toris Consilii Senatores Catholici, duo
 Lutherani; ceteri ex Senatu æquali
 utrinque numero: rei autem nummarie
 Quæstores & tormentarie Præfecti, ce-
 teraque officia, quæ tribus committan-
 tur, alternatim sint duo unius religio-
 nis, & unus diversæ, Templorum de-
 nique & Scholarum jura cuique parti
 integra servantur, de cetero pax Reli-
 giola, transactiones, & electiones Ma-
 gistratuum juxta Constitutionem Caro-
 linam salvæ maneant, in causis tamen
 religionem concernentibus pluralitas
 votorum adeo non attendatur, ut si
 Catholici hac pluralitate in præjudi-
 cium Lutheranorum abuterentur, hæc
 alternationem quinti Senatoris secreto-
 ris inducere, aliaque legitima remedia
 opponere possent. In paragrapho au-
 tem decimo quinto ejusdem articuli
 reservatum Ecclesiasticum, obstrepentibus
 primo Acatholicis, ad ipsos etiam
 Protestantes fuit extensum, ita ut si
 Lutheranus Archipræsul &c. vel solus
 vel cum Capitularibus ad fidem Catho-
 licam redierit, statim ipso jure & pro-
 ventibus percipiendis excidat, alius-
 que ejus Religionis, ad quam tale be-

Hist. Eccles. Tom. LXI. Mm ne

Sæc. XVII. A.C. 1648. neficium vi hujus transactionis pertinet, subrogetur: §. 17. sancitum, ne beneficia Ecclesiastica fiant hæreditaria. §. 18. jus primarum precum Cæsari asseritur, dummodo ad beneficium vacans præsentetur aliquis ejusdem Religionis cum defuncto. §. 19. Jus annatarum, pallii, confirmationum & mensium Papalium apud Protestantes executione destituitur, in mixtis autem Ecclesiis circa Catholicos retinetur. §. 23. statutum, ut quot Canonici præfato die & anno ex utraque religione fuerint, totidem maneant, & decedentibus ejusdem Religionis subrogentur. §. 25. Protestantibus, donec controversiæ Religionis definiantur, omnia mediata monasteria fuerunt permissa, quæ prædicto anno usurparunt. Porro Trautmansdorfius Comes & Cæsarei Oratores hunc §. 30. & 31. omnino pacis instrumento inseri voluere, quin tamen suum jus territoriale ad anni decretorii regulam restringi paterentur, aut unquam jus reformandi, prout illud Protestantes intellexerant, aut eorum praxin reformandi religionem & Ecclesiasticorum bona, utpote in pace Religiosa prohibitam consensu suo firmarint, aut firmare potuerint, sed duntaxat summa necessitate coacti, & residua bona amittendi periculo territi, cum id Protestan-

testantibus denegando impares essent, Sæc. XVII.
 tolerarint: demum vero Cæsar & ex Ca- A. C. 1648.
 tholicis pauci pacis amore quædam bo-
 na Ecclesiastica Protestantibus cessere,
donec de religione convenerit: contra per- *Adam. Ad.*
 petuam tamen bonorum cessionem, & *embl. p. 64.*
 reformationem hætenus a Protestan-
 tibus usurpatam Burgundus, Bissantinus,
 Ordo Theutonicus, Halberstadiensis,
 Argentinensis, Passaviensis, Hirschfel-
 densis, Murlacensis, Augustanus, Ra-
 tisbonensis, Frisinganus, Osnabrugen-
 sis, Mindensis, Verdensis, Euchstat-
 tensis, Virodunensis, Curiensis, Co-
 loniænsis, Salisburgensis, Campidunen-
 sis, & Corbeiensis Oratores, necnon
 Imperii Abbates, Neoburgi, & Sab-
 audix Duces, Sueviæ Comites, om-
 nesque ferme Catholici Ordines prote-
 stati sunt, aut saltem aperte nun-
 quam consensere.

Porro in §. 32. sancitum, ut ob re-
 ligionem vexati in eum, quo anno 1624.
 fuerunt statum, utrinque plane resti-
 tuantur, pacta vero de religione, si
 anni præfati observantiæ contraria sunt,
 annihilentur, exceptis novem Mona-
 steriis Hildesiensibus, quæ Catholicis
 a Brunsvicensibus Ducibus reddantur
 §. 33. subditi vero, qui nulla parte dicti
 anni Religionis exercitium habuerunt,
 aut post hanc pacem religionem muta-
 bunt,

M m 2

bunt,

Sæc. XVII. bunt, a territorii Domino tolerantur,
A. C. 1648. & privato Exercitio domi vel in vicino
 Templo frui non prohibeantur, aut
 cum suis bonis emigrare permittantur,
 concesso triennii spatio: nemo autem
 alterum ob religionem despiciat, vel a
 communi jure & beneficio excludat,
 §. 34. & seqq.

§. XLII.

*De Religionis exercitio in Silesia, jure
 reformandi & Jurisdictione
 Ecclesiastica.*

Præterea statutum, ut Protestantibus
 Principibus in Silesia ex Cæsaris
 gratia liberum sectæ, suorumque ju-
 rium exercitium relinquatur, ceteri
 vero Nobiles & subditi ibidem, sicut
 & in Austria inferiori emigrare non te-
 neantur, sed in locis vicinis extra ter-
 ritorium sectæ exercitio vacare, &
 Schweidnitzii, Glogaviæ, & Jauravii
 extra urbes prope mænia tres Ecclesias
 suis sumptibus erigere permittantur.
 In §. autem quadragesimo secundo &
 seqq. decisum, quod jus reformandi
 nec a sola qualitate feudali a jure ter-
 ritoriali sejuncta, nec a sola criminali
 jurisdictione dependeat, si autem jus
 territoriale sit controversum, anni nor-
 malis possessio attendatur, donec super
 posses-

possessorio & petitorio decidatur, ac ^{Sæc. XVII.} circa reditus post pacem Religiosam a A. C. 1648.
 Protestantibus aquisitos, necnon circa
 decimas, pensiones &c. dicti anni pos-
 sessio observetur: tota denique juris-
 dictio Ecclesiastica etiam in civitatibus
 mixtis in Protestantes sit suspensa *usque*
ad Religionis compositionem. Protestan-
 tes tamen in ditionibus Catholicis vel
 Catholici Protestantium subditi juris-
 dictioni huic subint in iis casibus, qui
 Augustanam confessionem non concer-
 nunt, dummodo anno præfato hanc
 jurisdictionem agnoverint: denique nul-
 lus publice vel privatim concionando,
 scribendo &c. Passaviensem & Religio-
 sam, ac Westphalicam pacem impu-
 gnet. In reliquis vero articulis de æ-
 qualitate utriusque Religionis Deputa-
 torum, de votorum pluralitate non at-
 tendenda, de Judicio Aulico, Came-
 ra Imperiali, necnon de Assessorum
 numero, aliisque politicis Statuum ju-
 ribus decisiones habentur. Helvetii
 etiam ab Imperio exempti, & Calvi-
 nistæ hujus pacis capaces pronuntian-
 tur: postea actum de Suecorum, Bran-
 denburgicorum, Brunsvicensium &c.
 compensationibus, ubi Suecis jura in Ca-
 pitulum Caminense necnon Archiepisco-
 patus Bremensis, & Verdensis Episcopa-
 tus: Brandenburgico autem Episcopatus

M m 3

Halber-

Sæc. XVII. A. C. 1648. Halberstadiensis salvo Religionis & bonorum Ecclesiasticorum statu, quo per Archiducem Leopoldum ex inito cum Capitulo pacto, fuit collocata, necnon Mindanus, & Caminensis cum expectativa in Archiepiscopatum Magdeburgensem: Mechlenburgicis vero Episcopatus Sverinensis, & Razeburgensis cum potestate extinguendi Canonicatus, & Duci Gastrovienti duo Canonicatus, & commenda Melitensis Nemerowana, ac denique Sverinensis commenda Mirovana cedebantur: Præterea Brunsvicenis & Luneburgicis Ducibus alternativa cum Catholicis in Episcopatum Osnabrugensem concedebatur, ita tamen, ut Franciscus de Wartenberg legitimus Episcopus nuper a Suedis spoliatus, restituatur quidem, Gustavo autem spurio Gustavi Adolphi Regis filio octoginta Thalerorum millia pendat, & Religio ad statum anni 1624. reducatur, necnon defuncto Francisco Luneburgicus succedat, & quoties A Catholicus alternabit, semper Colonienfi Archiepiscopo jurisdictio in Catholicos competat: Insuper Luneburgicis & Brunsvicenis Monasteria Walkenriedense, & Groninganum addebantur. Denique Christiano Brandenburgico cænobium & Præfecturæ Zinna & Coburg, & ex collectis in Archiepiscopatu

patu Magdeburgensi tria millia Thale- Sæc. XVII.
 rorum, Hasso - Casselanis autem adju- A. C. 1648.
 dicata fuit Hirschfeldensis Abbatia
 unacum quatuor Præfecturis & sexcen-
 tis Thalerorum millibus, quæ Mogun-
 tinus, Coloniensis, Paderbornensis &
 Monasteriensis Episcopi & Abbatia Ful-
 densis pendere jubebantur, non alio
 ex titulo, nisi ut ipsi urbes inique sibi
 ablatas recuperarent. Hac demum
 pace perfectum est bellum, quod Pro-
 testantes Pragæ ante triginta annos
 seditione in Cæsarem, ejusque Mini-
 stros mota adorti sunt, & inhumana
 sævitia in Catholicos continuarunt, &
 Ecclesiasticorum bonorum spoliis ex-
 tinxerunt, quin vel unquam de refun-
 dendis belli expensis, & damnorum
 Cæsari, Catholicisque illatorum com-
 pensatione cogitassent, unice intenti,
 ut duntaxat ex Ecclesiasticorum, &
 Catholicorum terris, & bonis pax Pro-
 testantibus proficua emeretur, nulla
 autem læsæ Catholicorum parti vel ex
 unico Protestantium pago satisfactio fie-
 ret. Erat igitur hæc pax Ecclesiæ &
 Imperio non minus nociva, quam
 necessaria, ne iniquissimo illo tem-
 pore majus utrique dedecus inureretur.
 Porro eadem die vigesima quarta Octo-
 bris firmatum est Cæsareo - Gallicum
 seu Monasteriense pacis instrumentum,
 Mm 4 quia

Sæc. XVII. quia vero eadem ferme, quæ circa
A. C. 1648. religionem, & Ecclesiasticorum bona
 Osnabrugæ conventa fuere, pariter
 Monasterii sancita leguntur, hinc ea
 repetere superfluum foret; exactam
 vero tam Osnabrugæ, quam Monasterii
 gestorum notitia hauriri potest ex actis
 publicis Joannis Godefredi Maiern, qui
 pariter Historicam Relationem ab Ada-
 mo Adami Hildesienfi Suffraganeo &
 Corbeiensis Principis & Abbatum Le-
 gato editam, atque iterato prælo Fran-
 cofordiensibus literis excusam juxta
genuinum, ut ait, *Autographum* Lipsiæ
 Anno 1737. se restituisse asserit, & ta-
 men fraude nimis manifesta in uno
 loco plusquam centum paginas omisit,
 alia mutilavit, multa in alium sensum
 contorsit, aliisque verbis, ac in Ada-
 mi Autographo habentur, enarravit,
 uti ceteris prior deprehendit Benedictus
 Stolla, & postmodum P. Ziegelbauer,
 ambo clarissimi ex Ordine Benedictino
 Viri in suis emblematis Maierianis
 demonstrarunt: Enimvero Maierus sub-
 lestæ fraudis, dolique culpam ac igno-
 miniam a se amoliri nitebatur, asse-
 rendo, quod in suo exemplari ea, quæ
 P. Ziegelbauerus adduxit, desiderentur:
 Verum idem Pater nimis luculenter
 ostendit, quod ipse *codem Autographo*,
 ex quo Maierus suam editionem Lip-
 sien-

psiensem concinnabat, usus sit: hac Sæc. XVII.
 ergo excusatione haud subsistente Maie- A. C. 1648.
 rus alia effugia quærens, asseruit,
 cuncta, quæ in Ziegelbaueri editione
 leguntur, & a Maiero omissa sunt, in
 ejusdem Maieri tomis actorum Pacis
 Westphalicæ reperiri: Attamen hujus
 excusationis falsitas cuilibet ad oculum
 patebit, qui Adami relationem cum
 Maieri actis conferre haud gravabitur,
 aliunde vero editionis depravatio in-
 fuisse ex eo capite excusatur, quod
 illa, quæ pro arbitrio suo in nova edi-
 tione quis omisit, in alio libro sparsim
 habeantur. Magis ergo veritati Maie-
 rus consulisset, si ingenue fuisset fas-
 sus, quod ideo Adami relationem de-
 pravarit, quia I. nimis luculenter ex
 Adami relatione appareret, longe aliam
 Paciscentium præcipue Catholicorum
 in transigendo §. 31. Artic. V. *hoc ta-
 men non obstante &c.* mentem fuisse, ac
 hodie dum Protestantes circa jus refor-
 mandi, Religionis exercitium & Au-
 tonomiam subditorum illis affingere ni-
 tuntur, II. quod nimis clare ex eadem
 Adami relatione pateret, quinam *Ca-
 tholicorum* nomine in hac pacificatione
 intelligantur, & quam acriter Catho-
 licorum potissimi contra Religionis exer-
 citium subditis A catholicis indultum
 reclamarint: Ita nempe in desperatis
 Mm 5 caussis

Sæc. XVII. caussis in dolis & fraudibus remedium
A. C. 1648. quæritur: inde vero saltem, ex detecto
 hoc dolo etiam de integritate ipsorum
 actorum a Maiero editorum valde gra-
 vis dubitandi ansa, Lectoribus præ-
 betur.

§. XLIII.

*Independentes, necnon Anglicani exer-
 citus Duces in Caroli I. Regis
 necem conspirantes.*

*Jæger.
 Hist. Eccl.
 l. 8. c. 6.
 Salmon hist.
 d' Angl. t. 1.
 pag. 255.
 Rusworth
 Vol. VIII.
 p. 2131.*

Postquam Carolus I. Angliæ Rex om-
 nes iniquas, subdolasque pacis
 conditiones sibi a rebellibus suis sub-
 ditis præscriptas acceptare recusaverat,
 non modo Independentes, sed & Pres-
 byteriani, & Parlamentarii in ejus ne-
 cem palam conspirarunt: Horum ali-
 qui ferocius instabant, ut Rex e vesti-
 gio, clanculum tamen, e medio tolle-
 retur, vel saltem militari Senatu dam-
 natus, capite plecteretur: potissimis e-
 tiam ex plebe firmum fixumque erat,
 Regem per sicarios interficere, culpam-
 que in Scotos conjicere: Primoribus
 vero consultius videbatur, per captio-
 fas quæstiones fraudulentasque ambag-
 es, & artificia Regem ita dextere in
 casses trahere, ut ipse aut contumax,
 aut publicæ tranquillitatis perturbator,
 Religionis proditor, crudelisque tyran-
 nus

nus credatur, horumque criminum ob- Sæc. XVII.
 tentu Parlamentum publicæ vindictæ, A. C. 1648.
 ac justitiæ fucō Regicidium honestare
 posset: Hunc in finem die tertia Ja-
 nuarii ab Anglicorum Procerum Curia
 Regi proponebantur quatuor illæ re-
 conciliationis conditiones, quas supra
 adduximus, pariter quoque Parlamen-
 tum scriptum quoddam concepit, quod
 varia crimina jam anno hujus sæculi
 quadragesimo primo Regi objecta con-
 tinebat, eumque palam insimulabat,
 quod Rex in Patris sui vitam unacum
 Buchinghamo conspirasset, & suppetiis
 contra Rupellenses Franciæ Regi præ-
 stitis Religionem Calvinianam extir-
 pare molitus esset. Verum adeo aper-
 tæ & atroces erant hæ calumniæ, ut
 tantam iniquitatem nequidem Regis
 hostes paululum honestiores dissimulare
 possent, ac propterea postularent, ut
 hoc scriptum, priusquam vulgaretur,
 in deliberationem veniret: nihilominus
 illud insuperhabitis ceterorum quere-
 lis, per plurimorum suffragia fuit ap-
 probatum: Displicuit hæc agendi ratio
 Scotiæ Deputatis, qui Regem suum,
 postquam eorum propositionibus sub-
 scripserat, in libertatem asserere, hanc-
 que in rem exercitum contra Indepen-
 dentium copias in Angliam educere
 decreverant, non modo Regis fautori-
 bus,

Sæc. XVI.
A. C. 1648

Vid. supra
l. 202. §. 5.

bus, sed etiam variis Provinciis, Bel-
 lique Præfectis aliunde Parlamento in-
 fensis in parem armorum societatem
 vocatis: Jamjam Mense Martio Lang-
 hormius aliique Belliduces collectis in
 Vallia copiis Pembrockianam, alias-
 que duas arces subegerant, eorum quo-
 que victorias haud parum promovere
 videbatur Londinensis populus, qui
 Parlamenti animum circa Episcopatus
 festorumque dierum abrogationem ex-
 piscatus, haud dissimulanter novam
 minitabatur seditionem: insuper Lang-
 dalus & Thomas Glenhamus, ambo
 Nobiles Regi suo addicti, Bervicum, Car-
 loum & Pontfractum arces expugna-
 runt, necnon ex maritimæ classis Præ-
 fectis nonnulli adversus Parlamentum
 Carolo Regis Filio adhæsere: Cantien-
 ses quoque populi in Regis sui defen-
 sionem arma sumpsere, palam decla-
 rantes, se pro Deo, Rege, & patria
 vitam & sanguinem profundere para-
 tos esse. Verum Fairfaxius horum
 quamplurimos inito prælio fudit, &
 reliquos in Essexiæ Provinciam Regi
 addictam, indeque Colmam profugos
 ad deditonem compulit, Lilleum vero
 & Lucam Nobiles Anglos glande plum-
 bea trajici jussit: pariter Londinensis
 Gubernator populum, qui Regem libe-
 raturus confluxerat, primo impetu dif-
 sipavit:

sipavit: Adversa igitur fortuna ubique Sæc. XVII.
 Regios infectante Eboracensis Dux A. C. 1648.
 secundogenitus Regis Filius suæ secu-
 ritati consulere statuit, ægre tamen
 Londino in Hollandiam ad Arausionen-
 sem Principem Sororem suam profugere
 poterat, ubi classi, quæ excusso Par-
 lamenti imperio ad Batavos secesserat,
 præfectus, unacum fratre suo Walliæ
 Principe Jarmuthum versus vela fecit,
 ab hoc tamen portu exclusus, ad Sus-
 sexiæ & Cantii littora contendit; dum
 interea Hollandus Comes, & Bucksus
 Dux quingentos Equites, & duo fer-
 me peditum millia pro Rege contraxe-
 rant, & Scoti cum valido exercitu
 unacum Hamiltonio Duce in Angliam
 penetraverant; quo comperto Parlamen-
 tum cunctos, qui Regis signa seque-
 rentur, perduellionis reos publico e-
 dicto pronuntiabat.

§. XLIV.

*Carolus I. Angliæ Rex de carcere in
 carcerem raptatus.*

Haud diu benignioris fortunæ spem
 Carolus I. Angliæ Rex, qui ad-
 huc dum Corisbrockensi carcere detine-
 batur, in fautorum suorum copiis, se-
 cundisque eventibus repositam habe-
 bat; quippe non modo Hollandi Comi-
 tis Rapin Thoi-
 ras Hist.
 d' Angl. l. 21.
 Whitl.
 p. 355.
 Rusworth.
 Vol. VIII.
 tis p. 125.

Sæc. XVII. tis copix, sed etiam Scotorum exerci-
 A. C. 1648. tus ingenti clade a Cronwello cæsus,
 dissipatusque fuit, ipso Hamiltonio Duce,
 ceterisque ferme omnibus Tribunis,
 Nobilibusque captis. Interim vero plu-
 res Provinciæ privata reconciliationis
 pacta cum Rege ineundi facultatem
 petebant, quibus etiam annuere Par-
 lamentarii, ea tamen lege, ut Rex
 antea ad quamdam arcem decem leu-
 cis Londino disitam transferretur;
 quocirca eodem Neoportum abducto
 Parlamentum suos Deputatos eo ab-
 legabat; Londinensis enim Urbis Pri-
 mores æque ac Presbyteriani ab utra-
 que Curia importunius petebant, ut
 cum ipsomet Rege aut Londini aut
 alibi de pace ageretur, huicque nego-
 tiationi etiam Scoti interessent, &
 juxta fidelitatis juramentum, nuperam-
 que conventionem Regis Persona, ho-
 nor, ejusque reditus sedulo conserva-
 rentur, ac denique salva Parlamenti
 potestate & privilegiis subditi pristinis
 suis juribus & libertatibus redderen-
 tur, necnon Ecclesiæ regimen puritati
 suæ restitueretur: Ut ergo utriusque
 Curix Senatores horum votis satisfac-
 erent, ac impendentes eorum tumul-
 tus prævenirent, tandem post acrem
 repugnantiam, quadrimestrem moram,
 & varia artificia incassum adhibita,
 con-

consensere, ut edictum, quo nullus Sæc. XVII.
 Regem accedere vel cum eo agere pro- A. C. 1648.
 hibitum fuit, nullum, irritumque de-
 clararetur, nec Rex nuper propositis
 tribus conditionibus subscribere cogere-
 tur: Sub idem quoque tempus Ca-
 rolus Walliæ Princeps necnon Londi-
 nenses Primores petebant, ut prius-
 quam negotiationi initium fieret, Rex
 plenæ libertati redderetur, omnesque
 hostilitates terra marique ex Regis si-
 mul & Parlamenti mandato cessarent:
 postquam vero Independentes Scoto-
 rum exercitum a Cronwello cæsum
 fuisse compererant, detracta simulatio-
 nis larva palam sibi supremam, cui du-
 dum secreto inhiabant, auctoritatem
 arrogabant, ipsumque Parlamentum
 de viginti octo criminibus, accusantes,
 reconciliationem cum Rege inchoatam
 interturbare, toto studio satagebant,
 cumque Rex omnibus ferme Parla-
 menti postulatis annuisset, & duntaxat
 negotiationis successum articulus circa
 Episcopalis dignitatis abrogationem
 sisteret, veriti, ne Rex circa hoc quo-
 que caput a sua sententia decederet,
 armata etiam violentia pacem suis con-
 siliis adeo adversam præpedire decer-
 nebant: præprimis ergo Cronwellus,
 ceterique exercitus Ductores, quorum
 consiliis Regis redintegratio oppido ad-
 versa

Sæc. XVII. versa erat, milites gregarios per Jeronum ejusdem Cronwelli Generum ad-
A. C. 1648. versus Regem variis calumniis, exstimulant, postea audaciores facti, die vigesima octava Novembris *exercitus nomine* Ewersum Tribunum cum aliis belli Præfectis ad Parlamentum ablegant, atque inter alia petunt. I. Ut Rex in judicium accerseretur, eoquod præcipua effusi cruoris, omniumque malorum, quibus Regnum affligeretur, causa esset: Parlamentum opprimere tentasset, extera quæsiisset auxilia, conscriptis Germanis Equitibus peditibusque Hibernis, quatuor Provincias Boreales, & Londini direptionem Scotis promisisset, ea lege, ut vel Parlamentum tollerent, vel ejus auctoritatem abjicerent: præterea etiam urbibus præsidia, & populo gravissima vectigalia imposuisset, ritusque Papisticis similes induxisset. Postulabant insuper II. ut Walliæ Principi & Eboracensi Duci Regiis filiis certa dies assignaretur, qua sese Parlamento subjicerent, & si renuerint, omni in Angliæ Regnum jure excidisse, Regnique proscripti declararentur, si vero sese subjecerint, aut ex jure cum illis ageretur, aut venia eisdem daretur, prout bene visum, atque ab eis satisfactum fuerit,

fuerit: nihilominus omnes Regii pro-
 ventus apud sequestrum in publicos
 usus deponerentur. III. Ex Delin-
 quentibus præcipui, tanquam hujus
 belli incentores, omni severitate ple-
 cterentur. IV. Deinceps nullus pro
 Rege haberetur, nisi prius a Parla-
 mento electus promiserit, quod infe-
 rioris Curiaë edictis nunquam repugna-
 turus esset. Verum ad tam sanguino-
 lentas petitiones Parlamentum nullum
 dederat responsum, inde verò exacer-
 bati Belliduces, non modo Londinen-
 sem populum, sed plures etiam Pro-
 vincias concitarunt, ut libellis Parla-
 mento porrectis Regium Caput ad sup-
 plicium deposcerent. Insuper gregarii
 milites Angli, cum omnes homines
 utpote natura æquales, æquale jus
 ad supremum imperium habere, iden-
 tidem a Cronwello edocti essent, au-
 dacter postularunt, ut hæc æqualita-
 tis lex confirmaretur, & deinceps ne-
 quaquam natiuitatis prærogativa, sed
 duntaxat patrii amoris excellentia in
 conferendis primis Regni dignitatibus
 respiceretur: cum autem tam a suis
 Belliducibus quam a Parlamento re-
 pulsam ferrent, habito Hunslovi con-
 ventu novæ Reipublicæ Antesignanos
 seu ut vocabant, Agitatores ad adoptan-
 dam hanc legem novamque doctrinam

Sæc. XVII.
 A. C. 1648.

Sæc. XVII. armata vi compellere decrevere, ex
 A. C. 1648. quibus tamen quatuor petulantiores
 Cronwellus, qui nova hac doctrina præ-
 conceptam usurpati imperii systema e-
 verti, probe noverat, suspendio plecti,
 ceteros vero captos Londinum abduci
 jussit: Fairfaxius autem Anglici exer-
 citus imperator, revocato Hammondo,
 Ewerfo Vectis Insulæ Regimen tradidit,
 qui Agitatorum jussu Regi manus in-
 jecit, eumque ex Carisbrokensi carcere
 ad arcem Hurst, locum angustissimum.
 fordidum, marique circumfluo insa-
 lubrem abstraxit: nihilominus inferio-
 ris Curia Senatores, ne tantæ inhu-
 manitatis conscii crederentur, publico
 programme declararunt, Regem in scio
 Parlamento ex Insula fuisse deporta-
 tum: Vicissim vero Belliduces haud
 ultra dissimulandum rati, *exercitus no-*
mine ad Parlamentum rescripsere, quod
 in nupera declaratione mala ex nego-
 tiatione ac Regis redintegratione Re-
 gno impendentia Parlamento exposuis-
 sent, cum autem Parlamentum ad hoc
 nequidem responderit, inde sat lucu-
 lenter appareret, quod factio in Parla-
 mento prævalens, studiose tamdiu re-
 sponsum suum distulerit, ut interea ne-
 gotiatio cum Rege non sine maximo
 Regni damno perficeretur: proin in
 Senatu non pauci essent corrupti, at-
 que

„que ad publicum bonum cæci, adver- Sæc. XVII.
 „sus quos nullum aliud superesset re- A. C. 1648.
 „medium præter Divinam, humanam-
 „que opem. „ Postea illos Senatores,
 quos sibi addictos noverant, datis lite-
 ris hortabantur, ut adversus Curixæ de-
 creta reclamarent, atque e Senatu ex-
 cederent, & Belliducibus obtempera-
 rent, donec nova Parlamenti forma
 esset stabilita: mox etiam Fairfaxius
 Londinensis Urbis Primoribus denun-
 tiabat, quod cum exercitu suo Londi-
 num movere cogeretur, contemptæ
 suæ declarationis injuriam ulturus:
 sexto post die urbem armatus ingredi-
 tur, publicum ærarium spoliatur, Pala-
 tia Regia & Nobilium ædes Comitio-
 rum atriis finitimas occupat, circum-
 fuso locis vicinis exercitu: Prydeum
 quoque Tribunal cum valido agmine
 Westmonasterium ablegat, qui quadra-
 ginta duos Senatores Regi minus in-
 fensos abstraheret, necnon centum quin-
 quaginta alios a comitiis arceret, & dun-
 taxat illis suam dignitatem sartam ser-
 varet, quos Parlamenti & Regixæ ad-
 ministrationis inimicos, proin factioni
 Cronwellianæ velificaturos nosset, quod
 & illico factum, quocirca in novo hoc
 Parlamento potissimam partem nonnisi
 Independentes, Anabaptistæ alique
 studiose selecti grassatores numeraban-
 tur.

Sæc. XVII. tur. Ita nempe pauci factiosi homines
A. C. 1648. de summa rerum Anglicarum, de Rege
 plectendo, de legibus condendis & rescindendis, necnon Regiminis avari
 fundamentis penitus subruendis potestatem sibi solis arrogare præsumpsere:
 Prohibent denuo, ne Rex ultra audiretur, nec ullus cum illo de pace conferre
 auderet, nova prioribus edicta subrogant, ob pacis articulos, in quos
 Rex prævie consensisset, Regimen immutandi auctoritatem in se jure
 transferri declarant, imperiumque, quod prius armis arripuerant, suorum
 suffragiis invadunt, ac denique Regem ex arce Hurst Viacomiam per
 Harrifonium Tribunum deducunt, ac triduo post Vindesorium & denique
 exeunte Mense Decembri Londinum abstrahi jubent, proxime morti
 adjudicandum. Interea vero ex bellici Senatus edicto prohibitum,
 ne ultra Regi consuetæ honorum significationes fierent, sed
 tanquam privatus Vir haberetur, suorumque domesticorum potissimi
 ab ejus famulatu arcerentur: denique Independentes, ceterique
 rebelles palam declararunt, penes populum potestatem omnem
 primitus residere, atque ad populi Delegatos id potestatis
 spectare, vimque legis obtinere plebis seu communium placita,
 citra Regis aut
 Proce.

Procerum suffragia, Regem vero ipsum Sæc. XVII.
 contra Parlamentum arma sumpſiſſe, A. C. 1648.
 eoque nomine sanguinis civili hoc bello
 fuſi reum eſſe, proprioque cruore cri-
 men illud expiaturum. Ipſe etiam
 Cronwellus habita ad populum oratio-
 ne monuit, ut deinceps populus Re-
 gnum ſuis viribus & conſiliis admini-
 ſtret & defendat, nec amplius populi
 incolumitatem & Regimen a Carolo
 Stuardo, Viro obſtinato, cujus cor
 Deus induravit, expectet, nec dein-
 cept ſinat ſe relinqui furori & malitiæ
 irreconciliabilis inimici, ſicut exper-
 turi eſſent futurum ejus Regimen in-
 ſupportabile, & plenius vindicta, quam
 juſtitia. Ita ille ex Independentium
 ſententia: non defuerunt tamen ex
 multis Provinciis plures, imo ex In-
 dependentium factione nonnulli, qui
 nefarias hæſce fanaticorum machinatio-
 nes deteſtati, Regis auctoritatem af-
 ſererent.

§. XLV.

Variae conjurationes feliciter detectæ.

Quantum habeat virium ad aliorum Calmet Hiſt.
 corruptelam tam in plebe quam Univ. l. 154.
 in Proceribus, pravitas exempli, fa- Jæger. hiſt.
 cile eluxit ex atroci illa Anglorum ſe- Eccl. l. 8. c. 5.
 ditione; per illam enim, ejusque im- Hode Hiſt.
 de la Vie de

Nn 3

puni-

Sæc. XVII. punitatem hoc anno diversi populi in
 A. C. 1648. variis Regnis ad parem seditionis fu-
 rorem atque intemperantiam concitari
 videbantur, & quidem in Sabaudia
 nonnulli in vitam Christianæ Matris,
 ejusque Filii Ducis conjurabant, fir-
 mum fixumque habentes, utrumque
 fortilegiis aut veneno e medio tollere:
 tempestive tamen a quodam Theologo
 detecti, mortis supplicio promeritas
 suæ perfidiæ pœnas dedere. Sub idem
 quoque tempus in Hispania nonnulli
 ex Proceribus connubium inter Regis
 Catholici Filiam & Bragantiæ Ducis
 Filium primogenitum conciliare, hoc-
 que vinculo utrumque Regnum denuo
 unire clam moliebantur. Hos inter
 præcipui erant Carolus Padilia, ejus-
 que frater Joannes Petrus & Rodericus
 de Sylva: detecta autem conjuratione
 inde exorta, hi omnes cum aliis non
 paucis in vincula conjecti sunt: demum
 de crimine convicti, Carolus & Petrus
 decollati, Joannes vero & Rodericus
 perpetuo carceri fuere addicti, ubi ta-
 men prior voluntaria inedia mortem
 sibi conscivit: Rex autem eadem die,
 qua pronuntiatae sententiæ executio
 sequebatur, in omnibus Templis Sa-
 crosanctam Eucharistiam, & tria Mil-
 farum millia in suffragium eorum, qui
 supplicio affecti erant, celebrari iussit.
 Magis

Louis XIV.
Tom. I. l. 6.
§ 7.

Voltaire. hist.
du Parlem.
de Paris
cap. 54.

Magis adhuc periculosi erant Parisien-
 sium tumultus, vix non in intestinum
 bellum erumpentes; postquam enim
 Franciæ Regina & Aurelianensis Dux
 urgente Mazarino Cardinale, annum,
 ut vocant, jus seu venalem ac hære-
 ditariam officiorum successionem pu-
 blico edicto, iterum invexerant, om-
 nium tribunalium Ministri, ipsumque
 Parlamentum vehementer reclamabant,
 & quamvis Reginæ jussu quatuor Se-
 natores ad extremos Regni fines fuis-
 sent relegati, ceteri nihilominus itera-
 tis Regiæ Curia mandatis pertinaciter
 elusis, Regis Ministros ad revocandum
 hoc edictum compulerunt, Parisiensi po-
 pulo velut ad reportatam de hoste vi-
 ctoriam applaudente. Inde vero haud
 parum crescebat non minus auctoritas,
 quam audacia Parlamenti, cumque po-
 pulus a Particello Emeryo intimo Ma-
 zarini Amico & supremo rei tributariæ
 Præfecto immodicis vectigalibus pre-
 meretur, eodemque tempore accideret,
 ut idem a quibusdam pauperrimis Pa-
 risinæ Urbis incolis de casis extra mæ-
 nia extructis ingens vectigal exigeret,
 mox Parisienses Parlamenti patrocini-
 um, tributorumque imminutionem
 exorabant, ac foeminæ turmatim con-
 fluentes Emeryum e domo sua egres-
 sum lapidibus impetebant: Igitur Par-

Sæc. XVII.
 A. C. 1648.

Nn 4 lamem-

Sæc. XVII. lamentum populi favorem demereri in-
 A. C. 1648 tentum, Reginam adiit, supplex, ut opp-
 refforum civium onera sublevare vel-
 let; hæc vero Regiam auctoritatem
 inde restringi rata, declarabat, nun-
 quam se passuram, ut infimi homines
 Regiæ Majestati insultarent: die au-
 tem decima quinta Januarii Regina,
 suadente Mazarino, Regem Filium suum
 eo induxit, ut ipsemet Parlamenti Cu-
 riam accederet, ac quinque nova edicta
 sua tabulis inseri postularet: Paruit
 quidem Parliamentum, nihilominus
 Regni administrationem in meliorem
 formam reduci, ac præcipue Tributo-
 rum exactores, utpote populi oppres-
 sores per Richelii Cardinalis tyranni-
 dem stabilitos abrogari petebat. Ex-
 canduit vehementius Regina ad hæc
 Parlamenti postulata; cum vero altera
 die a populo præcipue contra Eme-
 ryum aliunde, cum natione Italus esset,
 Gallis exosum gravissimæ deferrentur
 querelæ, & Parliamentum spreto Re-
 ginæ interdicto supplices lamentantium
 libellos excipere, ac discutere perge-
 ret, Regina tempori cedendum rata,
 quædam edicta moderabatur, alia re-
 vocabat, ac tandem Emeryum, qui
 olim Lugduni ad laqueum damnatus,
 nonnisi turbarum ope ad præsens for-
 tunæ fastigium ascenderat, exilio ple-
 ctebat,

ſtebat, pollicita, ſe tributorum exacto-
 res ſuppreſſuram: Verum hac indul-
 gentia adeo creverat Parlamenti po-
 pulique animoſitas, ut Urbs in duas
 ſcinderetur factiones; nuncupabantur
 quippe Mazarinei, qui Regiis addicti,
 qui vero bonum publicum tueri jacti-
 tabant, ſe *Fundibularios* nominabant,
 perinde acſi ad inſtar Davidis Gigan-
 tem Mazarinum proſtraturi eſſent. E-
 nimvero Aurelianenſis Dux exacerba-
 tos Senatorum animos amplis pollici-
 tationibus iterato placare ſatagebat, in-
 caſſum tamen, unde Cancellarius no-
 mine Regis Parlamento, quæcunque
 petierat, concedere cogebatur, juffit
 tamen, ut deinceps Curix conſeſſus
 nonniſi ex Regis conſenſu haberentur:
 nihilominus altera mox die Parlamen-
 tum proprio arbitrio conventum egit:
 Hæc Parlamenti pertinacia eo magis
 periculofa Reginæ videbatur, quo cer-
 tior fama ex Anglia in Franciam vo-
 labat, jamjam contra ſacratum Ca-
 roli V. Regis Caputferale pegma a Par-
 lamento erigi. Attamen victoria Len-
 tiana a Condæo Principe reportata de-
 jectum Reginæ animum nonnihil re-
 ſtauraverat, & Mazarinus vindictam
 de Parlamento ſumendi opportunitate
 uſurus die vigefima ſexta Auguſti ipſum
 Præſidem Potierum de Blancmenil, &

Sæc. XVII.
 A. C. 1648.

Sæc. XVII. Brouffelium civitatis venerandum Senem
 A. C. 1648. custodiæ dedit, pluresque alios Sena-
 tores, qui tamen tempeſtiva fuga e-
 vaſerant, comprehendi juſſit: quo
 comperto cives armati nulla mora cun-
 ctas urbis vias, & angiportus caten-
 nis occludunt, & curribus obſtrunt,
 inconditisque clamoribus captos, pro-
 ſcriptosque Senatores in libertatem
 aſſeri poſtulant, ipſumque Seguierium
 Regni Cancellarium lapidibus & ſclo-
 porum icibus inſequuntur, ejusque
 Filiam fauciant, alium vero, qui eam
 comitabatur, interficiunt: aucto de-
 mum tumultu unaomnes, etiam duo-
 dennes pueri ad arma convolant, iden-
 tidem ſucclamantes, *Vivat Rex, vivat
 Parlamentum, vivat Brouſſelius!* ipſe e-
 tiam Præſes, Parlamenti nomine, Re-
 ginam adiit, expoſitoque civilis tumul-
 tus periculo captos liberari petiit: in-
 ſuper populus ſumptis armis minitaba-
 tur, quod cum bis centies mille arma-
 tis utrumque Senatorem e custodia e-
 riperere, & Aulæ Miniſtros hujus vio-
 lentie Auctores exterminare parati eſ-
 ſent. Cedendum erat furentium mi-
 nis: redduntur ergo populo capti Se-
 natores, qui feſtavis acclamationibus
 excepti ad Parlamentum honorifice de-
 ducebantur, populo diriffima quæque
 in Mazarinum Cardinalem evomente:
 Poſtea

Postea tamen civium præcipui, cum Sæc. XVII.
Parlamenti auctoritatem omnino inte- A. C. 1648.
gram, captosque libertati redditos cer-
nerent, ipsimet armati infimæ plebis
furorem comprimere satagebant, brevi
tamen novis seditionibus Urbs ardere
cæperat; raro enim mentes semel
exacerbatas, & pertinaciter invitas
verba nuda molliunt, & plerumque
plæbei, si Magistratum exemplo suf-
fulti sunt, ad pristina odia & seditio-
nis rabiem, captata obvia quavis oc-
casione revertuntur.

§. XLVI.

*Bulla Urbani VIII. contra Jansenii
doctrinam Bisuntii recepta.*

Die vigesima sexta Maij Claudius de *Argentre*
Achey Bisuntinus Archiepiscopus *Collect. Uud.*
in sua Synodo Bullam Urbani VIII. *t. 3. p. 249.*
contra Jansenii libros editam promul-
gavit, simulque librum Arnaldi de *fre-*
quenti communione sicut & opuscula Joan-
nis Vergeri Abbatis Sancyrani proscri-
psit, præcepitque, ut nullus ad ani-
marum curam promoveretur, nisi Papæ
Bullam se acceptaturum jurato spon-
deat. Referuntur etiam in Tomo IX.
Concil. Germ. motus contra Jansenii
& Abbatis Sancyrani libros posteriori-
bus etiam temporibus excitati, nec-
non

Sæc. XVII. non variorum Præfulum censuræ in
A. C. 1648. præfatos libros latæ: quæ tamen om-
 nia non tanquam præfata Synodi pars,
 sed præfestina Compileris animadver-
 sio respicienda sunt. Ceterum Duacen-
 sis Academia die vigesima septima Julii
 ad Leopoldum Austriæ Archiducem li-
 teras dederat, in quibus palam pro-
 fitebatur, quod a perniciosis doctrinis
 in Cornelii Janseuii libro contentis ab-
 horreret, sibi que a nonnullis Lovanien-
 sibus Magistris temere impositum fuisset,
 quod Duacenses Magistri inter Jan-
 senianæ doctrinæ Defensores numerentur.
 Hoc item anno Petrus Halloix
 Societatis Theologus Leodii suum *Origenem
 defensum* publici juris fecit, hæc
 autem temeraria Origenis defensio die
 duodecima Maij anno hujus sæculi
 quinquagesimo quinto in Generali Sa-
 cræ Romanæ & Universalis Inquisitionis
 Congregatione inter libros prohibitos
 recensita, etiamnum reperitur.

§. XLVII.

*Prospera belli fortuna Venetorum
 contra Turcas in Dalmatia.*

Nani Hist. Venet. l. 4. Postquam anno priori Leonardus Fasculus Veneti exercitus Dux Sebenicum Dalmatiæ urbem non sine magna Turcarum clade obsidione liberaverat,

verat, magis secunda belli fortuna Ve- Sæc. XVII.
 netorum armis adspirare videbatur. A. C. 1648.
 Hic idem enim Bellidux nuperam cla-
 dem, quam Turcæ ex Clissa civi-
 tate Venetis per crebras eruptiones in-
 tulerant, ulturus, toto belli apparatu
 hanc urbem expugnare statuit: nec
 generosis suis ausibus defuit prosperi
 successus felicitas; quippe assidua tor-
 mentorum explosione disjecto jamjam
 primo murorum ambitu Techielium
 Bosuaniensem Bassam, qui cum quin-
 que Turcarum millibus opem ferre fe-
 stinabat, in præcipitem fugam egit;
 unde Clissenses Turcæ desperata ulte-
 rioris auxilii expectatione, cum obli-
 dionis impetum diutius tolerare non
 valerent, urbe dedita, ut incolumes
 abire possent, ultima Martii die pacti
 sunt, quos tamen Morlacci, qui reli-
 gione Christiani nuper maximo numero
 a Turcarum castris ad Venetos trans-
 fugerant, intempestivo privatæ ultio-
 nis furore adorti, plusquam ducentos
 jugularunt, ceterosque omnes pari fato
 involvissent, nisi Venetus Bellidux ma-
 gis ferocibus ad supplicia raptatis cæ-
 dis & rapinæ aviditatem inhibuisset.
 Hæc jactura tam intimo doloris sensu
 laniabat Ibraimum Turcarum Sulta-
 num, ut Bassam Badensem, suarum-
 que Provinciarum Præfectos ad mor-
 tis

Sæc. XVII. tis pœnas dãmaret, & Stephanum
 A. C. 1648. Sarich Sacerdotem, qui Morlaccos ad
 transfugium sollicitaverat, ex insidiis
 captum exquisita tormentorum crude-
 litate trucidaret.

Sub idem tempus Joannes Grima-
 nus Venetæ classis Præfectus cum qua-
 tuor navigiis, & novem triremibus
 primo vere in Ægeum mare excurrens,
 Helesponti fauces occludere tentave-
 rat: cum autem expugnato Mirabello
 cum validiore classe apud Scironia saxa
 die decima septima Martii subsisteret,
 media nocte tam horrenda suborta est
 tempestas, ut prætoria, binæ triremes,
 novemque aliæ naves fluctibus obrue-
 rentur, ac ipse Architalassus cum mi-
 litum, nautarumque potissimis interi-
 ret, & reliquæ naves ad saxa invicem col-
 lisæ perirent. Aliæ autem naves, ductori-
 bus Georgio & Bernardo Morotinis.
 unacum Riva Præfecto confestim ad
 obsidendas Hellesponti fauces cursum
 direxere, ne Turcarum classis ex Pro-
 pontide in mare Ægeum prodire, ac
 Cretensibus opem ferre posset: Postea
 Leonardus Mocenigus, Grimano un-
 dis hausto suffectus, instructa classe
 mare tota æstate infestum tenuit, Tur-
 casque Cretensi obsidioni intentos non
 una clade protrivit: nihilominus Cuf-
 senius Ottomanæ militiæ Præfectus in
 urbis

urbis mœnia simul ab omni parte im-
 petum fieri jussit: igitur Janifari incre-
 dibili promptitudine scalas admovent,
 exoritur terrificæ conclamatio, & in-
 compositus Barbarorum ululatus, so-
 lita apud Turcas præconceptæ victoriæ
 spes & augurium; laxantur plusquam
 centum belli tormenta, simulque ignea
 tempestate, simul fumo, sulphure, ni-
 doreque nitrato cum horrendo frago-
 rum tonitru, rumpitur, ac confundi-
 tur aer, quatitur terra, fremit cœlum,
 auribus & oculis obfessorum obver-
 satur continens excidium; miscentur gla-
 diorum splendores flammis, pugnan-
 tium sudores cœdibus, ac sanguini,
 vita funeribus, dies nocti: cessatum
 tamen a neutris, ac Turcæ innata sua
 ferocia, quam conceptæ jam victoriæ
 fiducia inspirabat, obfirmatam ad vin-
 cendum mentem præferunt, Chri-
 stiani vero infracta virtute, quam pie-
 tas, salutisque amor suggerebat, ho-
 stium impetus eludunt, ac laudabili
 superbia vanos Turcarum conatus ex-
 mœnium sublimitate despiciunt: nihi-
 lominus Barbari minis, precibus &
 Ductorum promissis, ipsaque tentati
 moliminis frustratione incitati, tertia
 aggressione vallum conscendunt, ac
 vexilla, veluti jam captæ urbis indi-
 tia, palam inter festivas acclamations
 eri-

Sæc. XVII.
 A.C. 1648.

Sæc. XVII. erigunt: Tunc primum apparuit, nul-
 lam virtuti difficultatem imperviam
 esse; nam Veneti ipso periculo indi-
 gnationem inflammante, colligendi
 spatium & animos resumunt, genero-
 soque mortis contemptu in medias ho-
 stium catervas irruunt, captisque tri-
 bus vexillis Turcas a mænibus in fos-
 sas exitiali lapsu protrudunt, cuncta-
 que promiscuo interitu miscent: Eo-
 dem tempore Marcus Sinofichius cum
 peditum agmine ex urbe erumpens, in
 Turcas fastu & gloriæ tumore adhuc-
 dum luxuriantes tanto impetu irruit,
 ut hi ulterioris aggressionis spe abjecta,
 pedem illico referrent: Attamen victo-
 riæ palmam vix non Venetorum ma-
 nibus extorsisset perfidia transfugæ cu-
 jusdam Græci, qui præsidiarios urbis
 milites multiplici cæde ad exiguum
 oppido numerum redactos referebat,
 quo comperto Cussenius denuo impe-
 tum tentari jubet, ruptisque cunicu-
 lis primas excubias trucidat, suosque
 lingua & manu ad pugnam incitat:
 committitur pertinax utrinque certa-
 men, militumque turmæ ultro citro-
 que velut ventis agitati fluctus moven-
 tur, iam illæ velut victi pedem refe-
 runt, mox latius in hostes sese effun-
 dunt, & tanquam in mediis effusi san-
 guinis fluctibus, interque occisorum
 cada-

cadavera ludificantes, alternas strages Sæc. XVII.
 edunt: tandem vero ex ipso malignan- A. C. 1648.
 tis fortunæ fato Venetorum salus &
 gloria refloruit; cum enim quorundam
 incuria ignis quædam nitrati pulveris
 dolia conciperet, Turcæ terram sub
 pedibus suis ex rupto cuniculo aperiri
 suspicati, partim in fossam præcipites
 acti, partim fugitivi ab insequentibus
 Venetis cum ingenti strage ex acie re-
 pulsi sunt, Cussenio suorum animos
 promissis, ac mandatis restaurare, in-
 cassum adlaborante, artemque suam
 simul & virtutem a Venetis elusam
 deplorante.

§. XLVIII.

Ibrahimus Turcarum Imperator a Janissariis Constantinopoli trucidatus.

Cruenta Janissarorum consilia adver- Nani l. c.
 sus Ibrahimum suum Imperatorem Jæger. Hist.
 conflata Venetis temporaneum respi- Ecccl. l. 48.
 randi solatium, spatiumque indulge- cap. 10.
 bant; cum enim Ibrahimus non modo
 primum Vezirium Janissaris percharum
 trucidasset, sed sua libidine fastu, avaritia,
 prodigalitate & sævitia ipsos etiam
 barbaros in sui odium ac contemptum
 concitasset, præcipui Ottomanicæ Por-
 tæ Ministri indignantes, quod sub tali
Hist. Eccles. Tom. LXI. Oo Im-

Sæc. XVII. Imperatore nec eorum quies esset se-
A. C. 1648. cura, sed vita incerta, & innocentia
 haberetur rea, miseram hanc conditio-
 nem mutato Rectore emendare decre-
 verunt: horum consiliis adspirabat
 Mustius seu Turcarum Pontifex, quem
 Ibrahimus officio suo exuerat, eoquod
 ejus Filiam longe formosissimam Imperatori in scortum dare recusasset. Pri-
 mo igitur conjurati secretas crimina-
 tiones in vulgus, & militiam sparsere,
 postea publica querimonia Ibrahim igna-
 viam, Cretensem militum cladem, æris-
 que militaris rapinas exaggerabant, ac
 præter alia vitia immodicum ejusdem
 luxum aculeatius carpebant, eoquod
 regii sui Palatii cubicula mustellæ Scy-
 thicæ pellibus exornasset, easque plu-
 rimum millionum sumptibus partim sibi
 comparasset, partim ab aliis mortis,
 pœnarumque comminatione extorsisset.
 Igitur Achmetes, Musladinus, &
 Amurathes præcipua Janissarorum Ca-
 pita habito inter se consilio, postquam
 militibus Ibrahimum exauctorandi ne-
 cessitatem exposuerant, die sexta Au-
 gusti, conspirante ipsa Kiosim Impera-
 toris Matre, regium Palatium occu-
 pant, jactatoque Ministros publicæ ca-
 lamitatis Authores plectendi obtentu
 præprimis supremum gentis Turcicæ
 Judicem jugulant, dein recens electum
 Vezi-

Vezirium, eoquod Veneto auro corruptus de necessario belli apparatu prospicere neglexisset, & amoti Vezirii filiam violenter Imperatori adduxisset, morti designant. Hic ad Imperatorem confugiens, ejus protectionem implorabat, quem tamen Mustio mortis reum pronuntiante, Ibrahimus mox suffocari, ejusque cadaver ad conjuratorum pedes projici jussit: nec tamen hujus cruore fatiata erat Janissarorum rabies; præprimis enim Mahometem nonnisi septennem Ibrahimii Filium acinace pro Turcicæ gentis more, sceptri & diadematis loco cingunt, folio imponunt, suumque in Imperatorem proclamant, quo audito Ibrahimus Filium suum trucidare parabat, ab aliis tamen seditionis motæ consciiis prohibitus: postea conjurati Mustium pro consueta Ottomanicæ Religionis superstitione consultant, an Sultatum mente captum ac tyrannum folio deturbare, ex Mahometis lege permissum esset? Mustius ergo non modo ad conjuratorum vota respondit, sed ipsi Sultano præcepit, ut altera die in judicio compareret, suorum querelas excepturus, secus, subditos juramento fidelitatis solutos fore nosset. Eo autem iterata Mustii mandata exhibitante, Janissari die ad vesperam inclinante turmatim in Palatium

Sæc. XVII.
A. C. 1648.

Sæc. XVII. irruunt, Ibrahimum trucidaturi; illos
A.C. 1648. tamen Imperatoris Mater adhucdum
 placabat, pollicita, Filium suum ul-
 tronea Regni abdicatione illatas inju-
 rias reparaturum: postquam vero Ibra-
 himus se solio dejectum viderat, vitæ
 tædio affectus, illiso sæpius ad murum
 capite mortem sibi consciscere tentabat:
 tandem vero die decima septima Au-
 gusti a quatuor sicariis anno ætatis
 suæ trigesimo quinto misere strangula-
 tus est. Successit eidem primogenitus
 ejus Filius Mahomet IV. cum autem
 per ætatem regiminis impar esset, in-
 terim illius Avia unacum aliis duode-
 cim Proceribus imperii curam in se
 suscepit, bellumque Cretense majore,
 quam antea furore prosecuta, surdas
 aures ad quascunque pacis propositio-
 nes præbuit, ipsumque Venetæ Rei-
 publicæ Legatum, eoquod Ottoma-
 nico Senatui reconciliationis media sug-
 gessisset, custodiæ dari, ejus vero in-
 terpretem trucidari, corpusque in mare
 projici jussit.

§. XLIX.

*Poloniæ & Daniæ Reges aliquæ hoc
 anno defuncti.*

*Brachel. hist.
 temp. l. 7.
 Briet. chron.
 Univ. t. 6.*

Sub idem tempus Uladislavus IV. Po-
 loniæ Rex sceptrum cum vita Mense
 Junio

Junio repentina morte depofuit, fed in- Sæc. XVII.
 quiore tempore, majoreque Regni dam- A. C. 1648.
 no, eoquod Tartari Præcopenses & Co-
 facci ductore Bogdano Chmielnicio in
 Ruffia omnia ferro & flammis devaftare
 cæpiffent: Hi enim Borifthenem trans-
 grefsi, atque in Poloniæ Provincias ef-
 fufi, cæfis apud Constantinoviam Sar-
 maticis copiis ad ipfa prope Varfaviæ
 mænia populabundi excurrerant. Suc-
 cefferat defuncti Regis frater Joannes
 Cafimirus Cardinalis, qui Mense No-
 vembri unanimi ferme Procerum suf-
 fragio in Regem affumptus, Regno pa-
 catione, hoftibusque minus formidan-
 dis digniffimus fuiffet.

Eodem hoc anno Christianus IV.
 Daniæ Rex, poftquam vario Marte ad-
 verfus Cæfarem & Succos decertave-
 rat, tandem anno ætatis fuæ feptua-
 gefimo primo, imperii autem fexagefi-
 mo mortalitatem exiit, cui Frideri-
 cus ejus Filius, hætenus Bremensis
 Archiepifcopus fuffecit.

Nec Cæfaris aula inter feftiva fo-
 lemnia ferali luctu caruit; vix enim
 Mense Julio prioris anni Ferdinandus
 III. fecundis nuptiis Mariam Leopoldi-
 nam Patruj fui Leopoldi Comitij Ti-
 rolenfis Filiam fibi desponsaverat, cum
 illa Mense Augufto hujus anni, eadem
 die, qua Filium nomine Ferdinandum

Sæc. XVII. Carolum Josephum enixa erat, repen-
A. C. 1648. tino fato extingueretur.

§. L.

Tornacensis Synodi Decreta.

*Schanat
Concil. Ger-
man. t. 9.*

Præter Bifuntinam Synodum, de qua supra §. 46. mentionem ingessimus, hoc anno Franciscus Vilanius Tornacensis Episcopus die vigesima secunda Septembris Diæcesanam habuit Synodum, in qua de Sacrorum foundationibus & numero pertractandum censuit, prohibuitque, ne deinceps Regulares Confessarii a casibus Episcopo reservatis absolvant. Præterea sancitum, ut Pastores moneant Tribunos & milites, quod matrimonia coram quovis Presbytero ab illis electo, etsi proprius Parochus contradiceret, contracta, sint irrita & nulla, proin ejusmodi Presbyteri, alique omnes, si nec ab Episcopo nec a loci Parocho facultatem habeant, ejusmodi Matrimoniis assistere non audeant, indicta carceris & annuæ suspensionis pœna.

§. LI.

*Augustinus Spinola Cardinalis hoc
anno mortuus.*

Ex

Ex Purpuratis hoc anno nonnisi tres Sæc. XVII.
 obiisse comperimus, quos inter pri- A. C. 1648.
 mus occurrit Augustinus Spinola Pa-
 tritius Genuensis, qui Theologiæ æque Ciacon. in
 ac Pontificii juris scientia ubertim im- vita Paul. V.
 butus, ad preces Philippi III. Hispa-
 niarum Regis Sacro Purpuratorum
 Collegio absens cooptatus est. Rexe-
 rat Episcopus primo Tortosanam, postea
 Granatensem Ecclesias, inde vero ad
 Compostellanam, & demum Hispalen-
 sem translatus, cum ferme semper ad-
 versa valetudine premeretur, potius
 exemplo quam sermone gregem suum
 pascere poterat, passim tamen ab om-
 nibus tanquam pauperum Pater pro-
 clamatus; præterquam enim, quod tri-
 bus illis annis, quibus Hispalensi Ec-
 clesiæ præfuit, nonaginta scutorum
 millia in pauperes suos Diæcesanos ero-
 gasset, insuper ceteros pene omnes
 proventus suos in Ecclesiarum fabricas
 & ornatum, in egenorum subsidium, &
 familiæ suæ domesticæ sustentationem
 distribuit: unde pinquissimis licet frue-
 retur beneficiis, semper tamen ære a-
 lieno gravatus erat, decessit tandem
 Hispali die duodecima Februarii anno
 ætatis suæ quinquagesimo tertio.

Sæc. XVII.
A. C. 1648.

§. LII.

*F. Michaelis Mazarini Cardinalis
obitus.*

Hunc pari mortalitatis fato sequebatur F. Michael Mazarinus patria Romanus, Cardinalis Julii celeberrimi Franciæ Ministri frater. Hic institutum FF. Prædicatorum professus, postquam honorifica Ordinis sui munia ingenti laude emensus erat, ab Urbano VIII. Sacri Palatii Magister, & ab Innocentio X. Aquensis Archiepiscopus renunciatus est: Postea in Franciam ad fratrem suum profectus, Annæ Galliarum Reginæ gratiam tam dextre sibi conciliabat, ut hæc illum Purpura Romana decorari, non semel a Papa efflagitaret: idipsum Uladislaus Poloniæ Rex impense petebat, qui Mazarinum,

*Vid. supra
S. 59. p. 193.*

Virum omnibus animi ornamentis insignem, celebris famæ, honorumque omnium testimonio commendatum, in suis ad Papam literis appellare haud dubitabat: nihilominus Pontifex Michaellem Sacro Collegio adoptare, constanter reuit, partim quod ab his Regibus extraneus contra usitatum morem nominaretur, partim quod Papa Julium Mazarinum Michaelis fratrem Sedi Apostolicæ infensum crederet: tandem vero eundem

ad

ad Guisii Ducis, & Olympiæ preces Sæc. XVII.
 Innocentius X. Cardinalem Presbyte- A. C. 1648.
 rum nominabat, qua tamen dignitate
 Religiosissimus hic Vir haud diu poti-
 tus, postquam a Rege Christianissimo
 Catalauniæ Prorex institutus Barcino-
 ne Romam redierat, die trigesima pri-
 ma Augusti nonnisi quadraginta tres
 annos natus ibidem Purpuram cum
 vita exiit.

§. LIII.

Lælii Falconerii Cardinalis decessus.

Postremus ex Purpuratis, qui hoc Ciacon. in
 anno naturæ debitum solverant, vita Urba-
 erat Lælius Falconerius patria Floren- nus VIII.
 tinus, qui raris animi dotibus, ingenii
 perspicacia, morum probitate, integri-
 tate, comitate & prudentia præditus,
 omnium in se amorem & benevolen-
 tiam rapiebat. Emeritus Doctoris lau-
 ream aliquamdiu Caussidicum egit, &
 ab Urbano VIII. Papa variis Præfectu-
 ris & Congregationibus præpositus, sese
 accerrimum ac omnino incorruptum ju-
 stitiæ vindicem semper exhibuit, erga
 illos tamen, quibus causæ æquitas ob-
 stiterat, sententiæ severitatem tanta
 verborum suavitate leniebat, ut hos
 quidem damnatos, non tamen offensos
 velle videretur: Tot igitur meritis præ-

Sæc. XVII mium deposcentibus, Urbanus Papa
A. C. 1648. hunc Virum longe celeberrimum Ar-
 chiepiscopatu, Purpura & Bononiensi
 Legatione honorabat, quo in munere
 proventus non alio nomine percepisse
 videbatur, nisi ut mox in Ecclesiam
 suam, pauperesque largissima manu
 eas effunderet: tandem vero calculi
 doloribus pene confectus, christiano
 mortis mundique contemptu, ac mira
 felicioris vitæ fiducia Viterbii die de-
 cima septima Decembris pie, ut vixit,
 in Domino obiit.

§. LIV.

*Varie Innocentii X. summi Pontifi-
cis Constitutiones.*

Vid. supra
§. 31. p. 490.
Constit. In-
noc. X. in
Bull. Magn.
tom. 5.

Præter illam Constitutionem, qua In-
 nocentius X. dubiis a Venerabili
 Joanne de Palafox Angelopolitano Epi-
 scopo contra Jesuitas propositis satis-
 fecit, insuper adhuc alia decreta hoc
 anno promulgavit, ac præprimis die
 decima octava Julii privilegia a pluri-
 bus Pontificibus supremo Magistro ac
 Conventui Hospitalis S. Joannis Jero-
 solymitani concessa confirmavit. De-
 claravit quoque idem Pontifex die sexta
 Aprilis, quod Fratres Laici ex tertio
 Ordine S. Francisci Gallicanæ Congre-
 gationis post quartum annum ab emissâ
 pro-

professione votum habeant in electioni- Sæc. XVII.
 bus, & Novitiorum receptione, imo A. C. 1648.
 & in Procuratores Conventuum e-
 ligi possint.

§. LV.

*Quædam dubia a S Congregationibus
 decisa.*

Proponebantur a variis plura dubia
 circa Ecclesiæ disciplinam, ritus-
 que emergentia, quibus Sacrarum Con-
 gregationum Patres satisfacere intenti,
 præprimis die decima Januarii decide-
 runt, quod janua, per quam Monialium
 Confessarii ad monasterium ingrediun-
 tur, in viam publicam respondeat:
 altera die Sacra Concilii Congregatio
 Brittinoviensi Episcopo respondit, quod
 Sacerdotes & Clerici, attenta consue-
 tudine & Ecclesiæ Cathedralis necessi-
 tate, ab Episcopo cogi valeant, ut
 Missis in diebus Dominicis aliisque fe-
 stis, necnon Processionibus intersint:
 Congregatio autem Episcoporum die
 decima quarta Februarii decedit, quod
 Episcopi sine gravi causa Confessariis
 denegare haud valeant, quominus
 confessiones excipiendi licentia proro-
 getur: cum vero Moniales in Canariensi
 Insula peterent, ut Officium Divinum
 juxta Breviarium Ordinis, uti hucus-
 que

*S. Congr.
 Rit. Conc.
 Epif. Reg.*

Sæc. XVII. que consuevissent, deinceps recitare, il-
 A. C. 1648. loque uti possent, die decima quarta
 Martii S. Concilii Congregatio affirman-
 do respondit. Decisum quoque est die
 vigesima Novembris a S. Congregatione
 Episcoporum, quod eadem die idem
 festum in duabus Ecclesiis vicinis non
 fit celebrandum, sed recentior Eccle-
 sia aliam diem eligere teneretur.

§. LVI.

*Quorundam Scriptorum religione Ca-
 tholicorum opera & obitus.*

Miræus
Script. Sæ-
cul. XVII.
Le Cerf.
Bibl. Hist.
Echard
Script. Ord.
Præd. t. 2.
Alegambe
Script. S. J.

Ex Scriptoribus Catholicis, qui hoc
 anno obiere, ad Ecclesiæ & Rei-
 publicæ literariæ utilitatem præcipue
 sequentes varia opuscula & lucubra-
 tiones posteritati reliquere, & quidem
 primo Malatesta Ballionius Pisaurus
 Antistes præter politica edidit quam-
 plurimas Constitutiones Ecclesiasticas.
 II. Didacus Saavedra Eques Ordinis
 militaris S. Jacobi scripsit coronam Go-
 thicam, Castellanam, & Austriacam
 politicis notis illustratam, necnon ideam
 Principis Politici Christiani centum
 emblematis illustratam. III. Joan-
 nes Georgius Tariffa Benedictinus Con-
 gregationis S. Mauri, qui monita ad
 Congregationis Superiores edidit, ab
 omnibus plurimum æstimatas, eoquod
 non

non modo in illis maximi momenti ve-
 ritates solidissimas complexus esset, sed
 etiam Superiorum defectus intrepide
 redarguisset. IV. Hieronymus Tri-
 marchius Messinensis Franciscanus, qui
 tractatum de confessario abutente Sa-
 cramento Pœnitentiæ, præter aliud
 opus de Legali abortu posteris reliquit.
 V. Alexander Calamatus, itidem Mes-
 sinensis Sacerdos, qui sententias se-
 lectas pro concionibus totius anni,
 Antonini Dianæ casus conscientiæ, Cru-
 cem Christi & Mariæ edidit: Scripsit
 insuper instructiones pœnitentium, in-
 structissimam Sylvam conceptuum, exer-
 citia spiritualia, Historias Sacras, &
 quamplurima alia. VI. Placidus Pa-
 diglia ex Abbate Benedictino Episco-
 pus Alexanus elucubravit Effigiem
 vultus venustissimi B. V. sermones de
 S. Ignatio, lectiones in Psalmum 50. &
 discursus prædicabiles in Psalmum cen-
 tesimum vigesimum nonum. VII. Ful-
 gentius Petrallus Ord. S. Augustini su-
 premus Præpositus, qui præter oratio-
 nes & quæstiones sub titulo *tentationes*
Fulgentianæ, prælo subjecit lectionem
 casuum conscientiæ, tractatus de ho-
 ris Canonicis, de auxiliis gratiæ, de
 intercessione B. V. erga Peccatores, &
 Hyppoliti thesaurum. VIII. Melchior
 Prieto Ord. Redempt. de Mercede;
 scripsit

Sæc. XVII.
 A. C. 1648.

Sæc. XVII. scripsit literalem & mysticam explicationem de excellentia Patriarchæ Josephi, Psalmidiam Eucharisticam, & tractatum in obligationes Episcoporum, & meditationes in orationem Dominicam. IX. Antonius de Sotto major Ord. FF. Præd. qui multis vigiliis concinnabat novum expurgatorium librorum, opus maximæ utilitatis. X. Joannes Ildephonsus Baptista ex eodem Ordine, edidit Apologiam pro auctoritate Ecclesiæ Doctorum & SS. Patrum adversus Joannem Baptistam Pozam Jesuitam, famosum SS. Patrum contemptorem. Scripsit quoque commentaria & disputationes in primam secundæ S. Thomæ, præter tractatum de conscientia, in quo tamen a D. Thoma *discedens, ex recentioribus auctoribus præsertim Jesuitis* probabilismum propugnavit, ac propterea, ut testatur P. Jacobus Echardus, ejus doctrinam Schola Thomistica non recepit, sed eam plures ejusdem Ordinis gravissimi Theologi impugnarunt. XI. Christophorus Brenzonius Carmelita, qui typis edidit commentaria in Psalmum centesimum trigessimum sextum, in cantica, in Evangelium D. Lucæ, in epistolas D. Pauli, & in *Magnificat*, scripsit etiam tractatus de Christi Sanguine, de Conceptione & doloribus B. V. necnon de

Vid. supra
t. 59. l. 197.
S. 34. p. 108.

Nicevon de
Vir. erud.
tom. 22.

de Cruce Christi, præter commentaria in quatuor libros sententiarum, opus adeo rarum, ut etiam unicum exemplar, & hoc nequidem completum, pro ingenti pecuniarum summa divenderetur, uti testatur Mulierus in suo *tentamine literario* pag. 148. Edidit quoque tres sermones de Indulgentiis præter Historiam de Cypri bello, & alia plura ejusmodi opuscula. XII. Melchior Inchofer patria Viennensis e Societate, qui anno hujus sæculi trigésimo de adventu D. Pauli Messinam, & de veritate vindicata *Epistolæ B. V. ad Messanenses* scripsit, quem tamen postremum librum S. Indicis Congregatio libris prohibitis accensuit, Auctoremque Romæ comparere jussit, tandem vero percepta ejusdem defensione indulgit, ut titulo, aliisque Censura dignis prius emendatis novam adornaret editionem, quæ etiam anno Christi millesimo sexcentesimo trigésimo secundo Viterbii sub hoc titulo: *De epistola B. V. ad Messanenses coniectatio* prodit. Scripsit idem Author quatuor epistolas ad Leonem Allatum de vario argumento, necnon tractatum Syllepticum de Solis motu secundum S. Scripturam & Patres, necnon de tribus Magis Evangelicis præter Annales Ecclesiasticos Regni Hungariæ. Adscribi-

Sæc. XVII.
A. C. 1648.

Sæc. XVII. scribitur eidem, perperam tamen *Mo-*
A. C. 1648. *narchia Solipsorum*; constat enim veram
 hujus satyræ auctorem esse Julium Cle-
 mentem Scoti olim Jesuitam. XIII.
 Martinus Couvreur itidem Socius, qui
 librum de septem signis Prædestinatio-
 nis, varia pietatis exercitia, summa-
 rium doctrinæ Christianæ, & instru-
 ctionem pro erudiendis rudibus poste-
 ris reliquit.

§. LVII.

Quidam Scriptores ex Protestantibus hoc anno defuncti.

*Freher
 Theatr.
 Erud. Wolf.
 Bibl. Script.
 min.*

EX A catholicis Scriptoribus, qui in-
 ter suos eminere, hocque anno
 denati sunt, locum sibi vendicant. I.
 Joannes Quistornius, qui annotationes
 edidit in libros Biblicos, exercitatio-
 nes in formulam concordiæ & com-
 mentaria in omnes epistolas D. Pauli
 in quibus tamen plus verborum, quam
 soliditatis deprehenditur. II. Joannes
 Behm, qui chronologiam a condito
 Orbe usque ad deletum Templum Je-
 rosolymitanum, Collegium Anti-Rath-
 mannianum, Thema Theologicum con-
 tra Ebionitas scripsit, præter plures di-
 sputationes, aliaque opuscula. III.
 Levinus Puchenius elucubravît com-
 mentaria in Joel, methodum concio-
 nandi,

nandi, explicationem Historiæ Passio- Sæc. XVII.
 nis, & varias epistolas ac sermones. A. C. 1648.
 IV. Eduardus Herbert patria Anglus
 scripsit de veritate contradistincta a re-
 velatione, tractatum de causis erro-
 rum, de religione laici & gentilium,
 necnon vitam Henrici VIII. Regis. V.
 Severinus Slüterus typis vulgavit anim-
 adversiones in Hypolitum Lapidem,
 tractatus de Prædicantium ordine,
 vocatione, potestate, & abdicatione,
 & de populi suffragio in eorum electione.

§. LVIII.

*Quædam propositiones ex Jansenii
 libro decerptæ, & Parisinæ Fa-
 cultatis judicio propositæ.*

Interim contentio inter Jansenianæ do- An. C. 1649.
 ctrinæ hostes & Patronos indies no- Hist. de cinq.
 vis æmulationum accessionibus propa- Prop. de
 gata fuit; vix enim quoddam alterutrius Jans. l. I.
 partis opusculum lucem aspexerat, cum pag. 4.
 illico oppositæ factionis Scriptores illud, Hist. brev.
 ejusque Auctorem, raro servatis de- Jans. p. 41.
 bitæ moderationis limitibus, refellere
 niterentur: Attamen primæ acerrimi
 & in hanc usque diem nondum ex-
 tincti incendii flammæ circa famosas
 quinque propositiones non ex Vaticano,
 sed ex Sorbonica Domo erupisse viden-
 tur, cum anno hujus sæculi quadra-
Hist. Eccles. Tom. LXI. Pp gesti-

Sæc. XVII. gesimo nono die prima Julii Nicolaus
 A. C. 1649. Cornetus olim Jesuita, tum Facultatis
 Theologicæ Syndicus in publicis Sorbonæ comitiis graviter quereretur, quod non raro propositiones, quas tamen ipse minus Orthodoxas censeret, suo calculo firmare urgeretur, & quamvis novas ejusmodi opiniones, quæ sensim apud Facultatis Theologicæ Doctores irreperere viderentur, ex Thesis sibi oblatis delevisset, Baccalaurei nihilominus eas vel prælo subjicere, vel deletas licet, palam propugnare præsumerent. Perceptis Syndici querelis Sacræ Facultatis Decanus censuit, ut cuilibet ex Sorbonæ Doctoribus propositiones ejusmodi periculosas denunciandi libertas daretur: Præ ceteris ergo idem Cornetus ad Sacram Facultatem Theologicam sex detulit propositiones, quarum quinque priores, fidei Orthodoxæ contrarias esse, ac juxta aliorum Doctorum judicium Jansenianæ doctrinæ synopsis complecti arbitratur: His Sant-Beuveus Sorbonæ Doctor adhuc septimam ex recentioribus Theologis excerptam adjici petiit. Decanus igitur suffragantibus Theologorum potissimis hac super re esse deliberandum statuit, huncque in finem ex Doctoribus novem, qui hæc propositiones mature discuterent, nominari

nari præcepit, incassum reclamante **Sæc. XVII.**
 Ludovico de sancto Amore Doctore ad- **A. C. 1649.**
 huc juvene. Erant autem propositio-
 nes sequentes :

I. „Aliqua Dei præcepta hominibus
 „iustis, volentibus & conantibus, se-
 „cundum præsentis, quas habent vi-
 „res, sunt impossibilia: deest quoque
 „illis gratia, qua possibilia fiant.

II. „Interiori gratiæ in statu naturæ
 „lapsæ nunquam resistitur.

III. Ad merendum & demerendum
 „in statu naturæ lapsæ non requiritur
 „in homine libertas a necessitate: sed
 „sufficit libertas a coactione.,

IV. „Semipelagiani admittebant
 „prævenientis gratiæ interioris necessi-
 „tatem ad singulos actus, etiam ad
 „initium fidei: & in hoc erant hære-
 „tici, quod vellent eam gratiam talem
 „esse, cui posset humana voluntas re-
 „sistere vel obtemperare.,

V. „Semipelagianum est dicere,
 „Christum pro omnibus omnino homi-
 „nibus mortuum esse, aut sanguinem
 „sudisse.,

VI. „Sensit olim Ecclesia privatam
 „Sacramentalem Pœnitentiam pro pec-
 „catis occultis non sufficere.,

VII. Attritio naturalis sufficit ad
 „Sacramentalem Pœnitentiam.,

Sæc. XVII.
A. C. 1649.

§. LIX.

Acris quorundam oppositio contra Facultatis deliberationem.

*Paix du
Clement
Abrege de
l'hist. Eccl.
t. 3. p. 457.*

Postremæ hæ duæ Propositiones eo adhuc tempore communis oppositionis scopus haud erant, acrius autem contradicendi studium efferbuit circa priores quinque assertiones præcipue illas, quæ Dei gratiam impetebant: Molinistæ enim horum damnatione suam opinionem tum firmiter stabiliri sperabant, & deinceps omnes Scholæ, ut eo remotiores ab hujus erroris periculo essent, ambabus ulnis gratiam hominis arbitrio subjectam adoptaturæ essent. Hi autem, qui se Divi Augustini Discipulos dicebant, minus doctrinam in his propositionibus contentam propugnandi, quam Jansenium, cui hos errores falso imputari autumabant, vindicandi studio, Facultatis judicium præpedire, magna animi contentione certabant, hancque in rem varia vulgabant scripta, ex quibus præcipuum erat, quod Bourzeyus Abbas sub titulo: *Propositiones de gratia præpediem in Sorbona examinandæ* edidit. Aliud Arnaldo fuit attributum, cujus inscriptio hæc erat: *Considerationes in Corneti Facultatis Syndici molimina coram*

ram confessu diei primæ Mensis Julii. Sæc. XVII.
A. C. 1649.

Postquam vero innotuit, quod novem illi Doctores nuper assignati præfatas propositiones censura notandas esse conclusissent, nilque propius esset, quam ut die prima Augusti in proximo Facultatis confessu censura confirmaretur, Loyselius Universitatis Cancellarius huic Congregationi præesse postulabat: inde autem exorta ceterorum oppositio negotii principalis successum præpedivit: interea vero Sant-Amoreus apud Senatum Regium adversus Syndici accusationem, necnon Decani sententiam, & Doctorum examen ac iudicium reclamabat, suamque appellationem die secunda Augusti Sorbonicæ Congregationi insinuabat, cui illico sexaginta alii Doctores accesserunt. Nihilominus Doctorum censura Mense Septembri ad medium vergente edebatur. Deputati tamen id se insciis factum declararunt, & Senatus Regius censuram promulgari, hacque super re disputari, aut libros in vulgus spargi inhibuit, donec controversia auctoritate publica decideretur, vel a Regis Senatu aliter decretum fuerit. Paulopost die prima Octobris Franciscus Hallierus ad Syndici officium electus fuerat, mox igitur Sant-Amoreus veritus, ne novus hic Syndicus Nicolai Corneti Prædecessoris

Sæc. XVII A. C. 1649. fui, qui a suo munere liberari petiit, obtinuitque, vestigia premeret, adjunctis sibi septem aliis Doctoribus, adversus illius electionem apud Regis Senatum reclamabat, caussatus, quod Hallierus Patris Cornelii a Lapide commentarium, in quo hic Auctor Ecclesiæ potestatem in temporalia Regum stabilierat, approbasset: Hæc accusatio tanti momenti credebatur, ut mox Senatus decreto Hallierus prohiberetur, ne Syndici Officio fungeretur, donec de præfato commentario iudicium fuisset pronuntiatum: cum ergo Facultatis Theologicæ Doctores ex hujus causæ primordiis adeo turbidis nil nisi fastidiosam tumultuum seriem prospicerent, hac super re interim supersedendum ac de tutiori remedio deliberandum esse, decreverunt, id suadentibus Chastelleinio Doctore & præcipue Moleo primo Curiae Præsidente, qui hoc negotium ad amicam transactionem remitti voluit.

§. LX.

*Hallieri vindiciæ contra imputatam
Commentarii approbationem.*

*Argentre
Coll. Jud.
t. 3. p. 58.*

Quoniam vero Sant-Amoreus, ut Hallierum a Syndici officio arceret, inter alia præcipue urgebat, quod ipse

ipſe in præſato commentario inviſam Sæc. XVII.
 & anno 1626. a Facultate Theologica A. C. 1649.
 damnatam P. Santarelli doctrinam ſuo
 caculo approbaſſet, Hallierus palam
 querebatur, quod non ſine nominis ſui
 injuria ob librum jam a viginti quin-
 que annis publico prælo vulgatum in
 judicium vocaretur, cum tamen nec
 unquam hanc lucubrationem aut legiſ-
 ſet, aut ratam habuiſſet, minus vero
 a quopiam de ſua approbatione huius
 libro præfixa admonitus fuiſſet: Hoc
 Hallieri reſponſum acriter pupugit Sant-
 amoreum, qui ſua cauſſa cadere veri-
 tus, Parlamenti Miniſtrum a nemine
 vocatum id Facultatis comitia die
 quarta Menſis Novembris introduxit;
 cum autem adverſus hujus temerita-
 tem Facultas obſtreperet, Miniſter De-
 cani nomine, ut comitia accederet,
 ab aliis Doctoribus fuiſſe ſibi injunctum
 reſpondit: id vero cum Decanus &
 Facultas, falſum eſſe cognoſcerent,
 Miniſtrum abire juſſerant, donec vo-
 caretur: tum vero Philippus Buvotus
 ſupremus Facultatis Apparitor decla-
 rabat, ſibi injunctum eſſe, ut Regii
 Senatus decretum ante omnia prælegi,
 & Baccalaureis omnibus ſignificari cu-
 raret, quod non Hallierum, ſed Cor-
 netum pro Syndico haberent: quo
 audito Hallierus denuo profitebatur,

Sæc. XVII.
A. C. 1649

quod Cornelii librum nunquam legerit, nec approbarit, sed ejusdem sententiæ cum Facultate semper fuerit, & etiamnum sit, proin totum hoc negotium Facultatis prudentiæ & judicio committat: insuper supremæ Parlamenti Curix libellum supplicem porrexit, eo fine, ut omnibus Typographis, & Bibliopolis prohiberetur, ne præfatum Cornelii commentarium unacum supposititia approbatione vendant, aut imprimant. Probata Hallieri excusatione Facultas eundem monuit, ut sanctiones Ecclesiasticas, & antiqua Facultatis decreta tam contra novas has propositiones, quam circa controversias de gratia & auxiliis jam dudum emanata executioni mandari curaret, quin harum propositionum examen vel judicium urgeret.

§. LXI.

*Censura Facultatis Theologicæ Tolosane contra Petri de Vincen-
tia librum.*

Argentre
t. 3. p. 249.

Sub idem tempus Raimundus Taillafonus Tolosanæ Academiæ Rector retulerat, quod paucis abhinc diebus per urbem divulgatus esset quidam li-
ber

ber, cui titulus: *Petri de Vincentia opusculum de veritate Conceptionis Beatæ Virginis &c.* cum autem nulla Ordinarii Facultas, nec Doctorum approbatio, aut Typographi, vel loci, ubi hic liber editus esset, nomen appositum legeretur, spurium hunc factum Rector quibusdam Theologiæ Professoribus examinandum tradidit. Hi ergo nulli labori parcentes post maturum æque ac iteratum examen die nona Augusti exposuere, in hoc libro quamplurima „sanctorum Patrum testimonia non fideliter relata, utpote aut truncata, aut mutata, aut in alieno sensu adducta, ac sæpe hanc propositionem „ex variis auctoribus ibidem citatis inculcari, *Festum Conceptionis Beatæ Virginis non esse celebrandum, & talem celebrationem esse prohibendam; quia concepta est in peccato originali, necnon sequentia verba haberi pagina sexagesima prima ex Joanne de Poliacio: videtur mihi, quod non possit ab aliquo pro opinione teneri; sed potius pro hæresi reputari, quod B. Virgo non contraxerit originale peccatum, vel quod fuerit ab originali peccato præservata: quod si aliquis tantæ temeritatis esset, quod præsumeret asserere, Beatam Virginem non contraxisse originale peccatum, certe contra talem, tanquam*

P p 5

contra

Sæc. XVII. A. C. 1649. *contra hæreticum, non argumentis, sed aliter videlicet cum igne esset procedendum,* & pag. 83. ex Joanne Dominico de Florentia: *Beata Virgo fuit concepta in peccato originali, ut dicunt sancti & omnes Doctores: dicere autem oppositum est hæreticum, tum quia est sequi hæresim damnatam Pelagii, tum quia est fidei veritati contradicere &c.* „His expositis, & maturatione deliberatione perpenlis, annuentibus cæteris Academiæ Doctoribus, præfati Sacræ Theologiæ Professores libellum hunc recens excusum censuerunt omnino improbandum, sicut re ipsa improbarunt ac damnarunt, improbant & damnant, tanquam temerarium, scandalosum, & toti Ecclesiæ Catholicæ maxime injuriosum, utpote Decretis Summorum Pontificum Sixti IV. in Extravagantibus cum præ excelsa & grave nimis de Reliquiis & veneratione Sanctorum, Oecumenici Concilii Tridentini Sess. 5. de peccato originali: Pii V. Constitutione 114. in Tomo II. magni Bullarii: Pauli V. Constitutione 97. in Tomo III. ejusdem Bullarii: Gregorii XV. Constitutione 29. in eodem tomo aperte, & expresse oppositum; statuitur enim illis locis: Festum Conceptionis Beatæ Virginis ab omnibus celebrandum, etiam sub nomine Conceptionis, illud-
„que

„que celebrantibus maximæ Indulgen- Sæc. XVII.
 „tiæ conceduntur: & cavetur sub pœ- A. C. 1649.
 „nis excommunicationis majoris latæ
 „sententiæ, privationis vocis activæ &
 „passivæ in quibuscunque electionibus,
 „& inhabilitatis perpetuæ concionandi,
 „legendi, docendi, seu interpretandi
 „ipso facto, & absque alia declaratione
 „incurrendis, ipsique sanctæ Sedi Apo-
 „stolicæ reservatis, ne quis audeat libris
 „conscriptis asserere, eos hæresis labe
 „pollutos esse, aut peccare mortaliter,
 „qui profitentur Divam Virginem abs-
 „que peccato originali fuisse conceptam,
 „vel Festum Conceptionis ejus celebrant,
 „aut tales libros editos, apud se tenere
 „pro veris, utpote a Sede Apostolica
 „reprobatos & damnatos, aut inter
 „privata colloquia dicere, eam pecca-
 „tum originale contraxisse. „

§. LXII.

*Capitalis actio adversus Carolum I.
 Angliæ Regem instituta.*

Prima hujus anni auspicia Catastro- *Brach. hist.*
 phen Carolinæ tragœdiæ imposue- *temp. l. 7.*
 runt in Anglia; postquam enim Caro- *Rusworth.*
 lus Rex ex Viacomienfi carcere ad Vin- *Vol. VII.*
 deforensem fuerat translatus, inferio- *pag. 1379.*
 ris Curia Senatores in id unice incum- *Jæger. hist.*
 bebant, ut opportuna excogitarent me- *Eccl. l. 9.*
 dia, *cap. 5.*

Sæc. XVII.
A. C. 1649

dia, quibus Regem suum juxta primævas Regni leges, & justitiæ formam morti adjudicasse crederentur; præprijis ergo ex Bellici Senatus decreto solum Hamiltonium Ducem, amotis ceteris omnibus domesticis, pro Regis obsequio nominarunt, postea die sexta Januarii selegerunt quosdam, quibus judicium, qui Carolum Regem vel absolverent vel damnarent, nominatio competeret: Hunc in finem Westmonasterii in Ecclesia solemne celebrarunt festum, ad grande hoc opus necessaria a Deo lumina impetraturi, atque inter eos Hugo Peterfus (*) saxæ frontis Histrio, ex Independentium Prædicantium impudentissimus, fædissimus Adulter, impurissimus Scurra, & ob publica scelera Cantabrigæ virgis cæsus ad medium Ecclesiæ progressus, coram Parlamento ibidem congregato alta voce ita exclamavit: *præmisso maturo conscientie meæ examine divinitus agnovi, quod inter Tribunos ac Cronwelliani exercitus milites plusquam quinque millia, omnes sancti, omnino puri, & æque digni sint eadem superna felicitate, qua Beati in cælis cum Deo omnipotente fruuntur.* Postea in faciem

(*) Hic idem Præco Nobilem Virum suis calumniis exulare coegit, ut libere ejus uxore ad libidinem abuit possset.

faciem prostratus, profusis lacrimis, Sæc. XVII.
 elevatisque manibus nomine populi A. C. 1649.
 Anglicani inferioris Curiae Senatores,
 tanquam supremæ potestatis Deposita-
 rios obnixè implorabat, ut adversus
 famosum Barabbam Vindeforiæ deten-
 tum scilicet Carolum Regem sævirent,
 eoquod ejus supplicium omnes San-
 ctos honoraret, & Anglici populi libe-
 ratio per exercitum promotâ infinities
 magis miraculosa esset, quam illa filio-
 rum Israel a Moyse supremo eorum
 Legislatore facta: Præmissis ejusmodi
 ludis sacrilegis Senatores novum tri-
 bunal, quod *supremam Justitiæ Curiam*
 appellitabant, adversus Regem suum
 erigunt, ac præter Fairfaxium, Cron-
 wellum, Iretonum, Wallerum, &
 Gkipponium, alios adhuc centum qua-
 draginta quinque Judices eligunt, una-
 omnes aut factiosissimos homines, &
 truculentos milites, in-Regis excidium
 jam antea conjurantes, aut cerevisia-
 rios, aurifabros, mechanicos, Sub-
 hastatos, obliguritores, & Scottatores,
 qui tamen a suæ sectæ Magistris sancti
 audiebant. His Senatores plenam de-
 dere potestatem sistendi, audiendi, ju-
 dicandi & morte plectendi Carolum
 Stuartum suum Angliæ & Scotiæ Re-
 gem. Postquam igitur Parlamentarii
 ex Westmonasteriensi Templo ad Cu-
 riam

Sæc. XVII. riam reversi fuerant, unanimi suffragio
 A. C. 1649. decreverunt, ut nulla mora contra
Regem iudicii acta instruerentur,
 & sententia in eum pronuntianda
 confestim executioni daretur: His ita
 stabilitis Cronwellus illos, quos adhuc
 tergiversari suspicabatur, ad crudele
 facinus variis commentis & artibus sti-
 mulavit, ipseque coram Parlamento
 hæc retulit, „summa cordis mei inge-
 „nuitate, totoque spiritus fervore ad
 „Deum preces meas ingeminabam sup-
 „plex, ut mihi necessarium concederet
 „auxilium, quo cognoscerem, an Re-
 „gem Angliæ solio restituere expediret.
 „Incæperam preces meas sine ullo de-
 „bilitatis sensu, repente tamen linguam
 „meam palato tam arcte agglutinatam
 „deprehendi, ut ne ullum quidem ver-
 „bum proferre potuerim: hoc successu,
 „primo quidem attonitus hæsi, mox
 „tamen e Templo egressus, linguam
 „pristinæ volubilitati redditam sensi,
 „ac libere verba facere potui: ex pro-
 „digioso hoc eventu fat luculenter co-
 „gnovi, quod Deus a Carolo I. sceptrum
 „& Regnum auferre, eumque repro-
 „bis accenseri velit.„ Vix hic impo-
 „stor sermonem absolverat, cum illico
 „juvencula quædam a suis parentibus
 „instigata Curiam accederet, & post va-
 „rias horrendasque corporis contorsiones
 „decla-

declararet, quod Dei jussu, ac secreto Sæc. XVII.
 instinctu Parlamentum in suo Regem A. C. 1649.
 trucidandi, ac supplicium maturandi
 proposito firmare cogeretur. Ita nempe
 sicarii hi perduelles ad honestandum
 parricidium suum omnibus sæculis &
 gentibus execrandum ipsam etiam Dei
 auctoritatem sacrilego ausu profanare,
 eaque abuti non reformidarunt.

Eadem die Senatores decretum de
 Curia recens erecta, plenaque facultate
 Judicibus commissa tertio prælegi
 jusserunt, spe concepta, illud absdubio
 a Procerum Curia acceptatum iri:
 Huic autem decreto sequens præmittebant
 exordium; „Notum est omnibus &
 singulis, quod Carolus Stuartus Angliæ
 Rex ejusque Prædecessores non modo jura
 & populi libertates usurparint, sed insuper
 Carolus leges fundamentales, & Anglicæ
 Nationis libertates evertere, earumque loco
 arbitrarium, & Tyrannicum regimen
 invehere, detestando consilio machinatus
 sit, atque ad propositi sui executionem
 præter plura alia pessima media insuper
 Parlamento cruentum intulerit bellum,
 ex quo Regnum ferro flammaque misere
 devastatum fuit, exhaustoque publico
 ærario, & commercio penitus interciso
 multa hominum millia gladio, innumerisque
 aliis „cala-

Sæc. XVII. „calamitatibus perierunt. Equidem
A. C. 1649. „propter hæc crimina Rex merito fe-
 „veræ castigationi subjici potuisset; ni-
 „hilominus Parliamentum, cujus pote-
 „stati Rex per Dei providentiam tradi-
 „tus est, ejus captivitate hisce Regni
 „tumultibus tandem finem imponi spera-
 „verat, ac propterea capitali judicio
 „eum damnare distulit. Quoniam vero
 „fatali experientia compertum habuit
 „hac clementia Regem, ejusque com-
 „plices ad urgenda perversa & peri-
 „culosa sua consilia, necnon ad exci-
 „tandos novos tumultus, novasque
 „rebelliones, & exterorum irruptiones
 „potentius stimulari, hinc ad præca-
 „venda majora mala, & ne deinceps
 „aut ex Tribunis vel Magistratibus po-
 „tentiores Nationem Anglicam nequi-
 „ter & seditiose in servitatem redigere
 „præsumant, Parlamenti auctoritate
 „decretum est, ut Thomas Fairfaxius,
 „Oliverius Cronwellus aliique in De-
 „putatos, & Caroli Stuarti Judices
 „nominarentur &c., Hoc decretum
 die duodecima Januarii inferioris Cu-
 riæ Senatores ratum habebant, mini-
 me dubii, illud pariter a Procerum Se-
 natu approbatum iri: cum autem præ-
 ter novem, ceteri omnes, ne cruentis
 inferioris Curiae consiliis suffragari te-
 nerentur, e Senatu discessissent, san-
 guina-

guinarium hoc decretum unanimi Pro-Sæc. XVII.
cerum consensu rejectum est: quo com- A. C. 1649.
perto perduelles Senatores contra Re-
gni leges declararunt, quod insuper-
habita Procerum oppositione Curix in-
ferioris Patres ceterique nominati Ju-
dices adversus Regem demandatam ju-
dicandi potestatem exequi possent: Nec
his contenti erant hi Sicarii, sed insu-
per amotis, quos æquiores fore suspi-
cabantur, sex Senatoribus alios sibi ad-
dictos elegerunt, & barbari hujus Ju-
dicii Præsidentem nominarunt Joannem
Dradshawium, obscuro loco natum,
decoctorem, & rabulam, frontisque
effrictæ hominem, ac nequidem inter
sux sectæ Viros ullius pretii. Ejus-
modi hominum impulsu Curix inferio-
ris Senatores, qui independentium se-
ctam profitebantur, unanimi omnium
suffragio decrevere. I. Supremam po-
testatem ex primæva sua origine in po-
pulo residere. II. Nationis auctori-
tatem penes Curix inferioris Patres in
Parlamento congregatos esse, eo quod
hi ad repræsentandum populum electi
forent. III. Quidquid hi tanquam le-
gem proposituri essent, vim legis ob-
tinere, ac populum eis parere obstri-
ctum esse, etsi Rex & Proceres dissen-
tirent. Adversus hæc decreta ad e-
vertendam Monarchiam, & invehen-
dam

Hist. Eccles. Tom. LXI.

Qq

dam

Sæc. XVII.
A. C. 1649

dam Rempublicam excogitata vehementer reclamabant Proceres, ipsi etiam Presbyteriani & Scotiæ Deputati cuncta adversus Carolum Regem & Parlamentum attentata tanquam irrita declararunt, priusquam Scotorum Natio desuper pronuntiaffet. Ordines quoque Belgii fœderati per Oratores suos saltem specietenus intercessere, ac Nobiles Angliæ prece & pretio rem egerunt, seque pro vita & incolumitate Regis obsides, sponsoresque obtulerunt: Princeps etiam Carolus, ut Patri periclitanti succurreret, nullum non movebat lapidem, ipse quoque Anglicanus populus ad tam crudele facinus fremebat: Inde vero magis ad iram, rabiemque concitabantur perduelles Sicarii, qui etiam publico edicto omnes & singulos, si Regi quoddam crimen imputare possent, illico denunciare, & coram iudicibus comparere iusserunt: postea omnes sanctiones & decreta nomine Regis facta deinceps pro irritis haberi, & Curiæ sigillo hæc verba, *Anno 1648. Anglicæ liberationis per Dei misericordiam primo insculpi præceperunt, demum vero ipsum Carolum Regem Vindesoria ad ædes S. Jacobi, & inde Westmonasterium ad Cottoni Equitis domum abstraxere.*

§. LIII.

§. LIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1649.

*Carolus I. Angliæ Rex a suis subdi-
tis iniquo iudicio condemnatus,
& palam capite plexus.*

Interim Cronwellus Iudices aliunde
jam propria indole & odio ferocien-
tes ad accelerandum Regis supplicium
anxiis curis stimulat, simulque Pres-
byterianos, qui non tam Regis inno-
centiam vindicandi, quam Independen-
tium auctoritatem supprimendi studio
adversus Parlamenti novi audaciam
& iniquitatem acrius declamabant,
vehementer objurgabat, eo quod auro
corrupti sua suffragia venum exposue-
rint, & conculcatis Divinis, humanis-
que legibus maximam populi, a quo
tamen suprema potestas in Regno de-
rivaret, indignationem incurrissent:
Præterea Cronwellus Pitcherum Tri-
bunum, qui ob Regis favorem exilio
plectebatur, in Angliam reversum pa-
lam in atrio Ecclesiæ ad D. Paulum
Londini capite plecti iussit. Ita ad per-
fidi hujus hominis mandata tremebant
omnes, Regii sanguinis aviditate cæ-
cum obsequium extorquente. Hujus
igitur Viri importunitate stimulati Ju-
dices, Regem die trigesima Januarii
prima vice comparere jubent, eique

*Rapin T'noi-
ras Hist.**d' Angl. l. 21.**Salmon hist.**d' Angl. t. 1.**p' An. 1649.**Rusworth**Vol. VII.**p. 1383.**Verit. Hist.**du Procer.**de Charles.*

Qq 2

varia

Sæc. XVII. varia accusationum capita objectant:
A. C. 1649 ille vero hosce tanquam competentes
judices agnoscere recusans, adversus
 illatam sibi violentiam reclamabat: nihilominus die prima Februarii rursus coram Parricidarum tribunal sistitur, & Joannes Dradschawius iniquissimus hic Præses coram ipso suo Rege prolixum habuit sermonem, quo absoluto per Notarium mortis sententiam prælegi jussit, in qua Rex tanquam tyrannus, proditor, rebellis, homicida, & populi, Regnique hostis pro criminum, suæque perfidiæ expiatione capite plectendus decernebatur: Ferali huic sententiæ ipse Præses, Greyus, Cronwellus & quinquaginta sex alii ejusdem furfuris homines subscripti legebantur: Postea Præses Regi imperabat, ut si quid in sui defensionem haberet, confestim proponeret: „hic vero eos monuit, ut quæ attentassent, maturius considerarent, ac præprimis ipsimet palam edicerent, unde ipsis judicii potestas adversus legitimum Regem suum competeret? respondente autem Præside, hanc potestatem sibi a populo esse datam, Fairfaxii Conjux alte exclamabat: *mentivis; potissimi enim ex populo hoc tribunal, utpote nonnisi a Tyranno Cromwello erectum abominantur:* inde vehemens exorta est verborum

con-

contentio, quamplurimis sanguinarium Sæc. XVII
 hoc tribunal legitima potestate destitu- A. C. 1649.
 tum propugnantibus. Nihilominus die
 secunda Februarii Rex tertio ad iudicii
 Aulam raptatur, acclamantibus non
 paucis, *Salvum fac Regem Domine*: Præ-
 leguntur denuo accusationum capita,
 quarum summa hæc erat, „quod atrox
 „& intestinum bellum contra leges pa-
 „trias, quibus etiam Reges tenerentur,
 „temere & crudeliter contra innocen-
 „tes subditos suscepisset, nulla alia de
 „caussa, nisi ut vim & authoritatem
 „Parlamenti opprimeret, quo ipse quasi
 „fræno solutus in opes atque animos
 „subditorum dominaretur. Hinc suæ
 „potentiæ stabiliendæ graves contri-
 „butiones exegisset, per Episcopos no-
 „vas Ceremonias ac ritus Papisticos
 „induxisset in Ecclesias, Germanos
 „Equites, peditesque Hibernos per urbes
 „atque oppida velut in præsidiis col-
 „locasset: in Hibernia Papistarum de-
 „lectus habuisset: a Rege Daniæ, aliis-
 „que exteris, arma, equos, & auxilia
 „petiisset: sollicitasset etiam exercitum
 „Anglorum Scotorumque pretio: illis
 „urbem Londinensem diripiendam, his
 „quatuor provincias Aquilonares Re-
 „gno Scotiæ adjungendas promisisset,
 „si ad Parlamenti exitium secum con-
 „spirarent.”

Qq 3

| His

Sæc. XVII.

A. C. 1649.

His ita prælectis Præses Regem interpellabat, postulans, ut sese defenderet, secus tanquam contumax esset damnandus: cum autem Rex hujus tribunalis auctoritatem agnoscere, constanter recusaret, & Curia regias hoc forum declinandi rationes excipere dedignaretur, Rex eas scriptotenus obtulit, ac insuper iniquas accusationes gravibus oppido verbis retudit. Attamen quotiescunque majoris momenti rationem pro suæ innocentiae tutela protulerat, mox Præses, aliique incondito & incomposito clamore loquentem interruperunt, eumque tanquam contumacem, & supremi judicii contemptorem abduci jusserunt. Tertia post die Rex rursus judicio sistitur, ubi Præsede vehementius eum increpante, Rex iterum, iterumque se audiri rogabat, semper tamen injectis clamoribus præpeditus, & secedere jussus tandem exclamabat: *Vah! si nequidem me audire sustinent: quam ergo justitiam alii ab hoc tribunali expectare poterunt?* nihilominus Rex die sexta Februarii Witehalam abductus, festinata sententia tanquam Tyrannus & hostis Patriæ ad capitis supplicium condemnatur: Triduum comparandæ ad mortem animæ Regi datum est, quo exacto die nona Februarii publice ad supplicii locum

locum inter militares custodias ducitur, Sæc. XVII.
 parricidis identidem vociferantibus: A. C. 1649.

Fiat justitia, moriatur, pereat &c. ipse
 etiam nequissimus Præco Hugo Peter-
 sus non modo atrocissima in Regem
 convitia effudit, sed etiam ceteros ad
 parem petulantiam stimulavit: Nec in-
 ter verba stetit rebellium furor, sed
 insuper prohibitum, ne Carolo vel ulla
 Regiæ dignitatis testificatio & honor
 exhiberetur, cumque quidam pileum
 detraxisset, alius vero Christianæ pie-
 tatis sensu impulsus, diceret: Regis
optimi misereatur Deus, hic trucidatus,
 ille fustibus pene confectus est; satel-
 lites quoque omni contumeliarum ge-
 nere Regem afficere certabant, alii
 ipsum opprobriis cumularunt, alii ta-
 bacci fumum, quem Rex sustinendo
 impar erat, in ejus nares intruserunt,
 atque eorum quidam ad tantam pro-
 lapsus temeritatem, ut etiam in Re-
 gis faciem spueret: Hic vero singulari
 patientia & animi constantia cuncta
 perferens, Elisabethæ Filix suæ trede-
 cim annos natæ, & Henrico Glocestriæ
 Duci novenni Filio valedicendi copiam
 sibi dari petiit obtinuitque, quos in-
 ter paterna monita & lacrimas a se
 tandem dimisit, atque urgentibus si-
 cariis ferale pegma, quod ante Re-
 gium Palatium erectum, armatisque

Sæc. XVII. legionibus cinctum erat, intrepide con-
 A. C. 1649. scendit, coram adstantibus palam ita effa-
 tus: innocenti mihi vis infertur condo-
 „no tamen noxam adversariis meis, pre-
 „corque Deum, ut morte mea tran-
 „quillitas Regno redeat., Professus
 deinde, se in ea religione & Ecclesia
 mori, quam Rex Jacobus, Paterejus,
 ordinavisset, quamque ipse defenden-
 dam semper suscepisset, tandem ad
 truncum tanquam ad precatorium pul-
 teum se devolvens, inter ultima Juxtoni
 Prædicantis, ac Episcopi Londinensis, so-
 latia generosam cervicem Deo humil-
 lime demisit a carnifice amputandam:
 quod repente factum est unico ictu,
 sed fortius impresso. Cadaver vero
 postea plumbeæ sandapilæ impositum
 die vigesima septima Februarii Vinde-
 sorium fuit translatum, cumque urbis
 Gubernator exequias funebres haberi
 haud permetteret, Regis corpus sum-
 mo silentio sine omni pompa ad me-
 dium chori terræ mandatum est, ad-
 dita duntaxat hac inscriptione *Carolus*
Rex Anno 1649. nunquam tamen huc-
 usque hoc Regis Corpus inveniri po-
 tuit. Ita demum cecidit Carolus Stuar-
 tus anno ætatis suæ quadragesimo nono,
 & Regni vigesimo quarto; sic rebellium
 subditorum victima periit Rex optimus
 inter tragicæ fortunæ exempla omnibus
 retro

retro sæculis memorandus, qui ea Sæc. XVII.
 æquanimitate, qua nullus unquam A. C. 1649.
 Rex, & ea facinoris indignitate, qua
 nec ullus unquam privatus, capitis sup-
 plicium sustinuit, qui indicta causa,
 denegato propriæ & alienæ defensio-
 nis jure, absque legis Divinæ, & pa-
 triæ auctoritate a suis subditis privato
 Monarchiæ odio, & propria dominandi
 libidine incitatus ob conficta crimina,
 motumque bellum, ad quod pro sui
 defensione coactus erat, tanquam la-
 tro, sicarius, Parricida, proditor &
 tyrannus ante Regiam suam aulam in
 infami pegmate inter duos carnifices
 larvatos, circumstantibus pluribus aliis
 lictoribus minime obtectis Regnum,
 honorem & vitam amisit: ex illis vero,
 qui innoxium Regis sanguinem fundi
 procurarunt, non pauci justo Dei ju-
 dicio violenta morte perierunt, atque
 inter eos hoc adhuc anno Ifaccus Do-
 rislaerus in Hollandia Anglorum Le-
 gatus a sex sicariis Hagæ trucidatus
 obiit. Non multo post Regis cædem
 prodiit Londini elegantissimus quidam
 libellus, sub hoc titulo: *Icon Basilica.*
 Adscribitur hic foetus ipsimet Carolo
 Regi, in quo ipsemet cunctas adverfi-
 tates & injurias sibi a suis hostibus il-
 latas exacte descripsit, & non modo
 politicas & Theologicas animadversio-

Sæc. XVII.
A. C. 1649. nes, sed luculentæ etiam pietatis expressiones adjunxit: Non desunt tamen, qui hujus libri Auctorem fuisse Doctorem Gaudenum arbitrantur, Daniel autem Gottfridus Schrebarus, alique eorum argumenta solide refellunt, demonstrantes, quod ex Cronwelli, eique adhærentium impulsu Joannes Miltonus, Thomas Majus, Joannes Seldenus alique, qui venales calamos suos Independentibus commodarunt, editis vindiciis non modo Regiæ cædis immanitatem excusare, sed etiam Regi honorem libelli tantopere celebrati eripere, totis viribus connisi fuissent.

§. LXIV.

Independentium ausus, & tumultus post Regis cædem.

Salmon l. c. **U**t vero Independentes trucidato Rege novam suam Rempublicam firmarent, non modo Carolum II. primogenitum Regis Filium ac Walliæ Principem ab Angliæ solio excluderunt, sed etiam publico decreto, & indicta perduellionis poena vetarunt, ne quis eum Regem agnosceret, aut pro salute illius, vel Ducis Eboracensis, aut alterius e Regia Sobole Deum precaretur: pariter tam Walliæ Ducem, quam Jacobum ejus fratrem palam tanquam hostes

hostes Patriæ denuntiarunt, Regno-^{Sæc. XVII.}
 que in perpetuum abstinere jusserunt, A. C. 1649.
 Elisabetham vero Regis Filiam & Hen-
 ricum Glocestriæ Ducem raræ idolis
 & ingenii Principem indignis oppido
 modis habebant, cumque illa in car-
 cere detenta, mærore ac morbo con-
 tabesceret, omnem medicinam eidem
 denegarunt, imo Medicum, ne suo
 fungeretur officio, minis absteruerunt;
 ea autem demum mortua fratrem ejus
 Glocestriæ Ducem in exilium deturba-
 runt, dato eidem pertenui viatico, quo
 mare in Flandriam transmitteret. Nec
 contenti truculenti hi sicarii in Regem
 vivum defæviisse, foedarunt insuper trun-
 catum capite corpus, manus suas cruore
 Regio abluunt, truncum in segmenta
 discissum, & arenam sanguine imbu-
 tam capillosque Regis venum exponunt,
 ipsius quoque statuas in ejus honorem
 olim erectas deturbari jubent, apposita
 hac inscriptione: *Periit Tyrannus Re-
 gum Angliæ ultimus anno libertatis An-
 gliæ recuperatæ 1649.* simulque bino e-
 dicto declarant, quod Natio Anglica
 haud amplius Rege indigeat, omnis-
 que suprema potestas penes populum,
 quem Parlamentum repræsentat, dein-
 ceptus resideat, quocirca populum An-
 glicanum a Regum obsequio ac fidei
 juramento exsolverunt: ipse etiam
 Cron-

Sæc. XVII. Cronwellus, ut ad extremum usque
A.C. 1649. atroci spectaculo oculos suos fatiaret,
 Regis cadaver aperto loculo, in quo
 e pegmate ad Ecclesiam delatum est,
 curiose inspectavit, Regiumque caput
 a cervice digitis suis revulsit. Postea
 in omnes, qui Regi aut Monarchico
 regimini favisse credebantur, ne tantæ
 immanitatis ultores supersint, sævitum
 est, ac præprimis Episcopo Londinensi
 diu in carcere detento chartæ, quas
 eidem Rex tradiderat, ereptæ, Hamiltonus,
 Hollandus & Capalus Comites capite
 plexi, Warvichus Comes & Reinoldsonus
 Londinensis Præfectus officio amoti &
 Norwicus Comes, necnon Joannes Owenus
 ad perpetuos carceres damnati: Cronwellus
 insuper, postquam Droghedam arcem
 vi expugnaverat, tria militum regionum
 millia gladio jugulari, omnesque Regii
 patrimonii terras, gemmas, & quicquid
 in Regis Palatio pretiosum erat, plus
 offerentibus vendi præcepit: solita tamen
 simulandi arte identidem manus suas
 innocentium sanguine pollutas ad cælum
 elevare visus est, simplex, ut Deus
 gravissimum Anglici Regiminis onus a
 suis humeris avertere, Regnique
 administrationem in illum, qui suis
 virtutibus divina auxilia ad sustinendam
 ejusmodi dignitatem necessa-

cessaria promereretur, transferre velit: Sæc. XVII.
A. C. 1649.
postquam vero Carolum Walliæ Prin-
cipem in Hibernia ab Ormondo Comite,
& Edini a Scotis in Regem proclamari
inaudierat, mox eo contendit, ut Hi-
bernos interminato bello a Regis ob-
sequio averteret, sibi que soli Thronum,
Regni que sceptrum vindicaret.

§. LXV.

*Leodiensis populi seditio rebellium sup-
plicio extincta.*

Hoc item anno Leodiensis populi se- Brachel. hist.
temp. l. 7.
ditio ante tredecim annos sopita
e suis cineribus in apertum erupit in- p. 350.
Briet. An-
nal. ad
Ann. 1649.
cendium; sicut enim plebs auctoritatis
semel sibi arrogatæ, etsi aliquamdiu
temporis servitio, coactum præstet ob-
sequium, nihilominus sensim ad deli-
butæ dominationis lenocinia violenter
etiam manus extendere solet, ita Leo-
dienses cives, eorumque Magistratus
non modo Consules ex populo eligendi
auctoritatem sibi denuo vendicabant, sed
insuper suprema ipsius Principis jura
usurpantes, sibi in subditos vitæ necis-
que jus, ejecto supremo Principis tri-
bunali, arrogabant, aliaque multa im-
pune & ferociter agebant. Enimvero
Colonienfis Elector Ferdinandus Urbis
Leodiensis Episcopus horum petulantia
oppo-

Sæc. XVII. A. C. 1649. opponerat cuncta moderatæ lenitatis remedia; cum autem nullis rationibus quicquam proficeret, res turbatas sua præsentia ad tranquillitatem reducere statuit, suum tamen Cancellarium præmisit, qui Consules de ejus adventu edoceret: cum autem Elector, cives in armis positos mortem atque extrema quævis Principi cum suis ingressuro comminari, per sui Cancellarii literas moneretur, hinc rebelles vi & armis ad officium revocare coactus, urbem cis Mosam cingi jussit; cives tamen inde efferatioris effecti crebris, infaustis tamen eruptionibus, Episcopi copias laceffere tentabant, missisque ad Franciæ Regem & Batavos Deputatis subsidia petebant, simulque Tibicinem, qui antea actorum veniam obsequentibus Episcopi nomine offerret, male habitum ignominose ejiciebant. Hanc injuriam, ac rebellium contumaciam ulturus Otto Sparrius Episcopalis exercitus Ductor, Fleronium Pagum vi aggredditur, illoque incenso armatos rusticos potissimam partem cædit, ceteros in fugam agit: inde ad Jupaliam alterum Pagum, quem Hennes Consul cum numeroso rebellium agmine inferat, progressus, post acre certamen trucidatis quadringentis, atque inter ceteros ipso Consule, una omnes in urbem

urbem præcipiti fuga sese recipere com-
 pellit. Hac demum clade perterriti
 hujus Pagi incolæ, depositis armis ul-
 tro ad obsequium rediere: Sparrius au-
 tem incenso Amercuro suburbio Leo-
 dium ex altera quoque parte trans Mo-
 sam obsidere parat, quo conspecto Magi-
 stratus die duodecima Augusti emisit
 Tympanistam sciscitaturum, quæ ex caus-
 sa ipsis bellum inferretur, cui tamen Spar-
 rius mox respondit, non aliam esse,
 quam iteratum eorum contemptum, &
 enormes contumelias, quas Principi
 suo intulissent, quamprimum igitur ad
 officium redirent, secus male inde ori-
 tura non sibi, sed ipsismet imputarent:
 Hoc responso, ac præcipue ingenti ar-
 morum apparatu perculsi cives, tridui
 inducias concedi, amotoque milite lo-
 cum transactioni commodum nominari
 petunt: utrumque vero Maximilianus
 Princeps Coadjutor, qui Electoris no-
 mine obsidioni præfuit, denegabat, nisi
 prius factiosi ad officium redierint. In-
 terim Sparrius urbis mænia ab omni
 parte bellicis machinis quaterere haud
 destitit: cum ergo Magistratus, civium-
 que Primores proximum urbis excidium
 prospicerent, ac de Gallorum suppetiis
 desperarent, concessis viginti quatuor
 horarum induciis urbem dedere, quam
 Maximilianus Princeps idoneo arma-
 torum

Sæc. XVII.
 A. C. 1649.

Sæc. XVII.
A. C. 1649

torum præsidio stipatus, ac paulopost ipsemet Elector victor ingressus est, publicatoque edicto præteritorum veniam omnibus indulgit, exceptis cædibus, & rapinis, quæ fervente hoc tumultu contra jus & fas perpetratæ essent, Bartholomæus quoque Rollandus, & Waltherus Hennet Consules, eoquod præcipui Auctores essent, palam in foro securi percussi sunt. Postea Princeps Elector convocato Ordinum conventu comitia a populo ad Senatum transtulit, ea tamen moderatione, ut ex viginti duobus a Principe nominandis unus, alter vero Consul ex totidem, quos Commissarii nominarent, eligeretur. Ita demum paucorum supplicio, & restricto comitiorum jure hæc seditio tempestive abolita est, quæ sane, si viribus crevisset, Imperium vix pacatum magnis identidem motibus quasatura videbatur.

§. LXVI.

Pragensis Conventus, & Monasteriensium decreta ad tollendas pacis Westphalicæ controversias facta.

*Bougeant
Rel. Bell.
tric. tom.4.
Maier Nor.
exec. tract.
lib. 1.*

Pace tandem Osnabrugæ conclusa pro prompta illius executione, necnon Bohemiæ Regno a Suecis evacuando Pragæ

Pragæ conventus habebatur, qui ta-
 men brevi dissolutus est: interim qui-
 dam Principum Legati, qui pro ur-
 genda pacis executione adhuc Mona-
 sterii substiterant, nomine Imperii de-
 cretum condiderunt, vi cuius sancitum,
 ut præ ceteris, ne militum stationibus
 Germanum Imperium diutius grava-
 retur, de exauctoranda militia, nec
 non de extero milite ex urbibus, arcibusque
 abducendo, ac primum postea de
 restitutione *ex capite amnestiæ & grava-
 minum* ageretur. Huic quoque decreto
 adstipulabantur Sueciæ Oratores: Pro-
 testantes vero, ut a restitutione bono-
 rum Ecclesiasticorum initium fieret,
 nullum non movebant lapidem, eo fine,
 ut citius in bonorum Ecclesiasticorum
 Catholicis ereptorum possessionem ve-
 nirent, & copias suas diutius Catho-
 licorum expensis alere possent. Præ-
 ter hanc difficultatem Orator Bavarus
 adversus Palatinos Principes quereba-
 tur, quod hi ab Hispanis animati in-
 junctam pacis legibus renuntiationem
 Palatinatus Superioris & Electoralis
 dignitatis facere renuerent, proin nec
 Baviaræ Elector Palatinatum inferio-
 rem Carolo Ludovico restituere, nec
 Cæsari instrumentum de oppignorata
 ob tredecim millones Austria superiore
 reddere possent; peteret tamen Elector,
Hist. Eccles. Tom. LXI. Rr ut

Sæc. XVII.
 A. C. 1649.

Sæc. XVII. ut nisi Palatini fratres intra annum ver-
 A. C. 1649 tentem renuntiarent, a jure successionis
 & simultanea investitura arcerentur:
 Insuper Maximilianus Bavarix Elector
 fidei Catholicæ exercitium in superiore
 Palatinatu retinendi jus sibi ex pacis
 Monasteriensis legibus competere con-
 tendebat; acriter autem obstrepebant
 Protestantes, qui postulabant, ut Reli-
 gionis libertas, qualis ibidem anno hujus
 sæculi vigesimo quarto viguit, redde-
 retur, tandem vero suffragantibus e-
 tiam quibusdam Protestantibus eorum,
 quæ Monasterii concludebantur, ma-
 gis gnaris Elector obtinuit, ne in pa-
 cis diplomate desuper sancita, ad alie-
 nos sensus detorquerentur. Cum au-
 tem Catholicorum plusquam quadrin-
 genti Augustæ Vindelicorum jam die
 quarta Decembris anni prioris adversus
 pacis Westphalicæ articulos hanc ur-
 bem concernentes palam reclamassent,
 eaque de causa Viennam & Monachium
 suos decrevissent Oratores, hinc acris
 exin orta est concertatio, quamobrem
 eodem adhuc Mense Wolfgangus Chri-
 stophorus de Berenhausen, & Geor-
 gius Köberlin, quos Episcopus Con-
 stantiensis eo decreverat, præter Alber-
 tum Woll, & Andream Burchardum
 Wacht Wirtenbergici Ducis Deputatos
 Augu

Auguſtam venerunt, ut pacis articu- Sæc. XVII.
 los ibidem executioni darent. Verum A. C. 1649.
 Catholici eis palam declarabant, quod
 nec bona hucusque poſſeſſa Lutheranis
 cedere, nec hos æquali numero ad pu-
 blica officia admittere poſſent, niſi di-
 ſertum deſuper mandatum a Cæſare &
 Bavaro Electore accepſſent, nihilomi-
 nus Ordinum Deputati, qui adhuc Mo-
 naſterii erant congregati, datis ad Ca-
 tholicos & Senatam Catholicum lite-
 ris, eodem, ni tanquam publicæ tran-
 quilitatis perturbatores caſtigari vellent,
 ad exequendos hos articulos urgebant,
 ipſosque Conſtantienſes & Wirtenber-
 gicos Deputatos negligentix accuſa-
 bant: ipſe etiam Turrenius Mareſcal-
 lus palam declarabat, quod copias ſuas
 e Suevia educere nollet, niſi prius Ca-
 tholici Eccleſias, ceteraque loca Lu-
 theranis ceſſiſſent: nihilominus Sena-
 tores Auguſtani intrepide profeſſi ſunt,
 quod una omnes jugulari mallent, quam
 Lutheranos æquali cum Catholicis nu-
 mero ad Senatam admittere: comperta
 horum conſtantia Wirtembergici Ducis
 Deputatus Monachium ad Bavarix
 Electorem contendit, petens, ut hic
 Auguſtanis pacis executionem injunge-
 ret, id quoque Proteſtantes Imperii
 Ordines a Cæſare petebant. Ægre
 Rr 2 qui-

Sæc. XVII. quidem Elector ad horum preces descendit, præcipue quia summus Pontifex gravibus oppido literis, ne id negotium promoveret, eum dehortatus erat: cum autem Bavaro a Legatis Monasterii congregatis omnis moræ culpa imputata fuisset, hinc misso Augustam nuntio præcepit urbis Gubernatori, ut executionis negotium, si forte Magistratus Catholicus adhucdum obsisteret, armata manu, imo & milite Sueco in urbem evocato prosequeretur: insuper Cæsar datis Augustam literis obtemperandi necessitatem Catholicis exposuit, adjecto mandato, ut nulla mora, quæ circa hanc urbem in nupera pace fuissent conclusa, exequerentur. Magistratus igitur haud ultra obluſtari ausus, a Protestantibus petiit, ut nomina eorum, quos in Senatum admitti cogitarent, designent, ne indigni vel minus apti reciperentur. Facta hac declaratione Magistratus Catholicus Cæsareis Deputatis Ecclesiæ ad SS. Udalicum & Annam, necnon FF. Conventualium, quas Protestantibus cedere jubebantur, claves die decima tertia Februarii tradidit, interposita tamen protestatione contra hanc restitutionem, novamque Ecclesiarum ad S. Crucem & D. Georgium antea destructarum fabricam. Paulopost Biberaci,

raci, Lindaviæ & Ravensburgi omnia Sæc. XVII
 in pristinum statum fuere revocata, & A. C. 1649
 quidem Kaufburæ die decima quarta
 Aprilis Ecclesia ad B. V. unacum No-
 focomio Protestantibus fuit tradita, Je-
 suitis, qui hoc Templum possederant,
 Mindelheimum recedere iussis: sicut
 etiam ex Wirtenbergico Ducatu Sacer-
 dotes Catholici & Jesuitæ cum Sacris
 ornamentis Dilingam migrare cogeban-
 tur, & quamvis juxta ipsorummet Pro-
 testantium placita, Neoburgicus Dux
 ob *territorialem superioritatem* simulta-
 neum exercitium Catholicum pro suis
 subditis Catholicis invehere potuisset,
 ac reipsa invehere cæpisset, nihilomi-
 nus tam Sacra quam civilia ad statum
 anni normalis revocata fuere. Præ-
 valente etiam Suecorum potentia Ba-
 variæ Elector Ratisbonensibus durante
 bello erepta unacum vectigali cedere
 compulsus est.

§. LXVII.

Acta Norimbergensis Conventus.

Quoniam vero plures, eæque gravio-
 res difficultates pacis executionem
 variis in locis retardabant, hinc contra-
 nitentibus licet plurium Principum Le-
 gatis, soluto Monasteriensi, conven-
 tus Norimbergæ habebatur. Advenerant

Rr 3

rant

Sæc. XVII. A. C. 1649. rant die vigesima secunda Aprilis no-
 mine Cæsaris Octavius Picolomineus,
 Volmarus, Crane, Lindenspur, & Blu-
 mental, ex parte autem Suecorum e-
 rant Carolus Gustavus Palatini Comes,
 Erskeinus, & Oxenfirnius: nomine
 Franciæ Regis Henricus de la Court:
 Elector autem Moguntinus Sebastia-
 num de Meel, Coloniensis Comitem
 de Firftenberg, Bavarus Royerum, &
 Joannem Georgium de Oexel: Saxo
 Drandorfium, & Brandenburgicus We-
 senbecium Oratores ablegabant: ceteri
 quoque Principes suos quisque Lega-
 tos eo decrevere. His una congrega-
 tis circa modum tractandi fuit conven-
 tum, ut ex Electorum, Principum, &
 Ordinum collegiis octo seligerentur, &
 quidem quatuor religione Catholici,
 & totidem Protestantes, qui primo mi-
 litum exauctorationem, postea ea,
 quæ propter amnestiam & gravamina
 unicuique competerent, executioni
 mandari satagerent. Negotiationi re-
 moram opponebat Franchentalia, quam
 urbem Hispani adhucdum occupabant,
 & Palatino restituere cunctabantur:
 Ineunte autem Mense Junio Sueci de
 Catholicis querebantur, quod nondum
 religionem & bona ad statum anni nor-
 malis restituissent, hinc præprimis Ca-
 rolus Gustavus supremus Suecicæ mi-
 litiaæ

litiae Imperator a Cæsare petebat, ut Sæc. XVII.
A. C. 1649.
 Bohemis Protestantibus, Cambensibus
 & Superioris Palatinatus Lutheranis
 conscientiae libertatem, liberumque suæ
 sectæ exercitium, necnon Vallis Joachi-
 micæ incolis suam Ecclesiam reddere
 velit, eo quod Lutherani Præcoæs pri-
 mum Mense Septembri præfati anni
 fuissent inde deturbati. Postulabant
 etiam Protestantes, ut Brandenburgico-
 Culmensi, necnon Onoldino Marchio-
 nibus, & Friderico Lewensteinio &
 Nassovio - Sarburgensi varia bona, &
 Jura Ecclesiastica ac Politica redderen-
 tur, ac Jesuitæ Casselenses Heimuo-
 fium Ottoni Lafeno restituerent, &
 Sultzbacenses, ac Hilpolsteiniani, &
 Allerspergenses exercitio publico Au-
 gustanæ Confessionis frui permetteren-
 tur. Augustani quoque Protestantes
 querebantur, quod nec orphani Luthe-
 ranis Parentibus vel agnatis, nec jura
 Sepulcrorum in Catholicorum Eccle-
 siis Protestantibus adhucdum fuissent
 restituta, ac Patres Carmelitæ Excal-
 ceati, quamvis anno Christi millesimo
 sexcentesimo vigesimo quarto nondum
 Augustæ Vindelicorum substitissent, in
 urbe tamen remanere contenderent, &
 Catholici supremam inspectionem in
 Lutheranorum scholas, & præcipua
 Reipublicæ officia sibi vendicarent,

Rr 4

necnon

Sæc. XVII, necnon P. Walbach Benedictinus in
A. C. 1649. Nosocomio Concionem habuerit, quod
 tamen præfato anno in usu non fuisset,
 ac denique Norimbergæ, Ulmæ, Lindavii,
 Dinckelspilæ, & in aliis urbibus
 Catholici Sacerdotes primum post dictum
 annum introducti nondum abire
 iussi fuissent. Vicissim vero Catholici
 graviores adhuc querelas adversus
 Protestantes bonorum Ecclesiasticorum
 usurpatores die decima sexta Junii
 proferebant, & quidem I. quod Osnabrugensi
 Episcopo integer Episcopatus, & Parochis
 Catholicis ibidem suæ Ecclesiæ, & Monasterium
 Cappellense Præmonstratensibus
 nondum fuissent restituta. II. Varii
 redditus Electori Colonienfi adhuc
 dum eripiantur. III. Etsi Teuthonici
 Ordinis Equites præfato anno
 privatam habuerint Religionis exercitium,
 Protestantes tamen non modo itinerantibus,
 sed etiam ipsius Ordinis Sacerdotibus,
 ne in Rodenburgensi Comenda Sacrum
 celebrent, inhi-beant, & peregrinos
 Sacerdotes comprehendant, eisque
 juramentum, quod celebrare nolint,
 imponant, & Detbachii civem
 quendam Catholicum ad ejurandam
 fidem minis adegerint, & Weisfenburgi
 antea concessos viginti quatuor
 cives Ordini Teuthonico eriperint,
 insuper etiam undecim ejusdem
 Ordini

Ordinis Præfecturas, earumque redi-
 tus adhuc detineant. IV. Electori Mo-
 guntino Universitas & Jura Academica
 Erfordiae, in Episcopatu liberum Reli-
 gionis Catholicæ exercitium, juris-
 dictio criminalis, & caussarum cognitio-
 nes adhucdum denegentur: nec non
 ædes ab Erfordiano Senatu demolitæ,
 sylvæ, agri, diplomata, Archivia, ra-
 tionum libri &c. a Protestantibus e-
 reпти, aliaque Monasteriis, & Mona-
 chis ablata nondum restituta, nec dam-
 na ab eis illata fuissent reparata. V.
 Denique Comitibus de Fugger, Basi-
 leensi & Argentinensi Episcopo multa
 bona, decimæ, jura & oppida non-
 dum a Gallis fuissent reddita.

æc. XVII.
 A. C. 1649.

Præterea Catholici Ordines die vi-
 gesima ejusdem Mensis querebantur,
 quod PP. Capuccini Biberaci & Ra-
 venpurgi, Jesuitæ Kaufburæ, & Gron-
 bergæ violenter a Wittenbergicis fue-
 rint exclusi, Catholicis prohibitus usus
 Religionis Catholicæ, & Sepultura in-
 terdicta, alia & multa contra pacis le-
 ges attentata.

His ita propositis, Angliæ Legatus
 nomine Adamus Karpfius Cæsari, om-
 nibusque Imperii Principibus libellum
 obtulit, in quo Regionum Principum
 nomine opem adversus Caroli Stuarti
 Regis Sicarios, Regnique usurpatores

R r 5 imple-

Sæc. XVII. imploravit, cum autem Imperium pe-
 A. C. 1649. cuniis exhaustum, ac domesticis turbis
 adhucdum agitatam, & subditi exactio-
 nibus militumque stativis oppressi fuif-
 sent, hinc Legatus sine subsidii spe di-
 missus est. Quoniam vero ad compo-
 nendas amnestiæ & Religionis contro-
 versias necessarii essent Viri, qui ipsi
 paci Westphalicæ olim præsentibus paci-
 ficientium mentem sibi perspectam habe-
 rent, hinc Cæsar revocato Blumenthalio
 Volmarum perspicacissimi ingenii,
 ac comprobatæ in rebus agendis dexteri-
 tatis Virum subrogabat, quem tamen
 Carolus Gustavus non ut Legatum, sed
 duntaxat ut Piccolominæi Subdelega-
 tum agnoscebat, quin impedire posset,
 quominus potissimum hujus Viri opera
recessus, ut vocabant, *præliminaris* die
 vigesima prima Septembris conficere-
 tur, quo conventum, ut ad restitutio-
 nem nullo habito Religionis respectu
 procederetur secundum nudum factum
 possessionis, observantiæ, usus & exer-
 citii, casus tamen liquidi ab illiquidis
 ita separarentur, ut liquidi præceteris,
 reliqui vero intra trimestre juxta in-
 strumentum normam executioni daren-
 tur, huncque in finem ex utraque re-
 ligione Deputati nominarentur, qui cun-
 cta gravamina examini subjicerent, ca-
 suumque liquidorum executionem Cir-
 culo-

colorum Directoribus statim commit-
terent, dubios vero iisdem ad ulterio-
rem cognitionem subjicerent. Inde
vero factum, ut illi, quibus quædam
essent restituenda, omnes casus pro li-
quidis venditarent, hi vero, qui bona,
reditus &c. restituere jubebantur, suam
causam ad dubios & illiquidos casus
reijcere quærerent: quapropter inte-
grum bimestre ejusmodi altercatio te-
nuit. Denique tam Cæsarei, quam
Sueci Oratores ipsum exequendæ pa-
cis instrumentum confecere, quia ta-
men in pluribus articulis adhuc inter
se dissidebant, hinc die undecima No-
vembris sancitum, ut Catholicorum
nomine duo, & ex parte Protestantium
totidem seligerentur Deputati, qui
exacte & scriptotenus exhiberent, in
quibus hi ab illis recederent, vel inter
se convenirent.

§. LXVIII.

*Variae difficultates circa restitutionem
quorundam Monasteriorum.*

Non exigua vertebatur difficultas cir-
ca quædam Monasteria in civita-
tibus mixtis sita, & post annum nor-
malem erecta, quorum restitutionem,
ac Religiosorum ejectionem Sueciæ
Deputati omnino postularunt, Cæsarei
vero

Sæc. XVII.
A. C. 1649.

Act. Exe-
cut. Maier.

Tom. I.

p. 629. &

Tom. II.

p. 171, 735.

& 651.

vero

Sæc. XVII. vero hujus controversiæ decisionem ad
 A. C. 1649. quæstionem de civitatibus mixtis re-
 mittendam censuere. Præcipua vero
Hist. Conv. contentio fervebat circa PP. Jesuitas,
Aug. Carm. qui anno hujus sæculi vigesimo octavo,
Diac. & relicto Füessensi Collegio Kaufburam
Archiv. ab Henrico V. Episcopo Augustano fue-
 runt inducti, necnon circa PP. Capuc-
 cinos, qui Biberaci jam anno millesi-
 mo sexcentesimo decimo sexto Sedem
 fixerant, & Ravenspurgi contra pacis
 leges exturbati fuerant, ac denique
 circa Patres Carmelitas Discalceatos,
 qui Anno 1629. cum commendatitiis
 Ferdinandi II. Imperatoris & Bavarix
 Ducis literis ad Senatum datis Augu-
 stam adventantes, Monasterium suum
 erigere cæperunt, successum tamen il-
 lius remorantibus Jesuitis; cum enim
 hi Cænobium Carmelitarum mitigato-
 rum sibi vendicare studerent, Excalceati
 Carmelitæ hujus controversiæ exitum
 præstolari jussi sunt: interim hi a PP.
 Dominicanis humaniter recepti, ac
 paulopost a Reverendissimo Abbate ad
 S. Udalricum in vicinam quamdam Do-
 mum pro suis Religiosis tempore pesti-
 ferro expositis ædificatam, atque in Ec-
 clesiam S. Jacobi eidem contiguam per
 Rdmum Casparum Zeiller Generalem
 Episcopi Vicarium die sexta Maij An-
 no 1632. annuente Senatu introducti
 sunt: Ut autem proprium, stabilem-
 que

que locum haberent, extra rubram por- Sæc. XVII.
 tam hortum sibi a Comitibus de Fug- A. C. 1649.
 ger partim donatum, partim emptum
 in Monasterium converterunt, quod
 tamen Sueci paulopost unacum Sacello
 in cineres redegere. Postquam vero
 Anno 1635. Imperator Augustam, ex-
 pulsus Suecis recuperaverat, ad ejus-
 dem Cæsaris vota Senatus hisce Patri-
 bus publicum Urbis granarium pro eri-
 genda Ecclesia & Monasterio in per-
 petuum dono dedit, ea lege, ut Im-
 perator nongentos circiter milites præ-
 sidiarios, quos civitas suo ære alere co-
 gebatur, amoveret, & Gubernatoris
 annum stipendium a Magistratu nu-
 merandum minueret. Annuit gra-
 tiose Imperator Urbis petitioni: mox
 igitur Patres fabricæ initium fecerunt,
 coemptisque variis domibus vicinis
 Monasterium erexere, quod tamen die
 decima quarta Decembris Anno 1646.
 exorto incendio in cineres & rudera re-
 sedit, cum autem tertio post anno e-
 tiam Augustæ Vindelicorum Westpha-
 licæ paci executio urgeretur, & Con-
 stantienses æque ac Wirtenbergici De-
 putati cuncta, quæ a Magistratu Ca-
 tholico Ecclesiasticis in Protestantium
 præjudicium a prima Januarii die an-
 ni 1624. donata vel indulta fuere, re-
 stitui peterent, hinc Patres Carmelitæ
 Excal-

Sæc. XVII. A. C. 1649. Excalceati pariter de suo Monasterio anxii Constantiensibus Delegatis supplicarunt, ut illius possessio ipsis facta fervaretur, eoquod urgentibus Papa, Cæsare & Bavarizæ Electore, necnon consentiente Episcopo a Magistratu in urbem admissi, & in Sacellum S. Jacobi prope S. Udalricum introducti fuissent, & quamvis ipsis Magistratus granarium, ex quo coemptis aliis caro pretio vicinis ædibus conventum suum erexerant dono dedisset, id tamen nequaquam cum civium etiam Protestantium damno, sed maximo eorum emolumento factum fuisset, non modo eoquod præfati Patres hortum, locumque, in quo extra rubram portam suum Monasterium a Suecis combustum ædificaverant, absque ulla restitutione jurisdictioni civili denuo subjecissent, sed præcipue quia Imperator, si Magistratus præfatum granarium Patribus concederet, præsidarium militem & Tribunos, quibus Urbs vehementer erat gravata, abduxisset, debitasque exactiones plurimum moderasset, & primum anno priori omnia Patrum bona in suum patrociniū suscepisset. His rationibus addebant Patres, quod articulus de restitutione ipsos adeo non concerneret, ut illo grannarii ædiumque emptarum possessio potius confirmare-

maretur, cum in §. 56. cautum sit, *Sæc. XVII*
ab universali restitutione excepta esse, quæ A. C. 1649
restitui & redhiberi nequeunt . . . aucto-
ritate belligerantium interversa, item de-
structa, legitime vendita, sponte donata.

Has quidem Patrum rationes rejiciebant Wirtenbergenses Deputati, eoquod illæ Ravenspurgensibus & Dinkelspilanis Capuccinis, necnon Kaufburanis Jesuitis, quos expulsos volebant, favere possent; nihilominus Carmelitas Discalceatos Augustæ retinendos esse, unacum Senatu censebant, eoquod hi Augustæ non recens admissi haberentur, sed ejusdem Ordinis Patres jam ab aliquot centenis annis Ecclesiam & Monasterium S. Annæ incoluissent, & eorum intuitu nunc Lutherani Nosocomium, Scholas, & alia ibidem possidere permisi essent. Verum Constantienses Deputati hanc rationem, quam aliis Religiosis nocivam fore prospexerant, rejecerunt, decreverunt tamen, Excalceatos Augustæ servandos, eoquod pacis instrumentum ipsos esse expellendos, non doceret.

Hæc Deputatorum sententia male habuit Lutheranos, qui horum Patrum stabilitatem sibi in aliis locis præjudicio futuram rati, nullum non movebant lapidem, ut eorum expulsionem promoverent: eapropter coram Wirtenbergi-

Sæc. XVII. bergicis Deputatis petebant, ut Carmelitæ granarium restituerent, & de bonis coemptis onera Laicis paria præstarent, eoquod res transeant cum suo onere, & ex granario Lutherana Ecclesia in compensationem ædium ad S. Crucem & Georgium destructarum commode ædificari posset: die etiam quarta Martii Lutheranorum civium Primores accessere Deputatos, eisdem declarantes, quod Carmelitas, cum in nulla anni normalis parte in urbe fuissent, ejiciendos censerent, Deputatorum tamen iudicio relinquerent, an vi pacis tolerandi forent: Igitur deliberatione facta Wirtenbergensis Cancellarius pronuntiabat, hunc casum in instrumento pacis nec esse decisum, nec decidendi jus Deputatis competere, eoquod verba hæc Art. 5. §. 29. *unicum Clero intra prædictum terminum non introducto non de civitatibus mixtis, sed duntaxat de civitatibus unius Religionis intelligenda essent.* Constantienses quoque Deputati a Lutheranis postulabant, ut ex pacis instrumento docerent, Religiosorum Ordinem in civitatibus mixtis post annum normalem introductum denuo esse expellendum: cum ergo circa hæc in dicta pace nil specialiter decisum haberetur, aliunde vero Religiosa pax

quoad

quod casus vel articulos per pacis instru-
 mentum non decisos sit confirmata, hinc Sæc. XVII.
A. C. 1649.
 temere assereretur, quod casus pro Pa-
 tribus Carmelitis aliisque Ordinibus in civi-
 tates mixtas post annum hujus sæculi vigesi-
 mum quartum introductis per Regulas &
 conclusiones generales satis decisus sit,
 præcipue cum Patrum Excalceatorum
 Ordo a Magistratu legitimo per sum-
 mum Principem constituto receptus
 fuerit, & quidem a tali Magistratu,
 qui præfato Anno 24. adhuc Religiosos
 recipiendi jus, hujusque juris possessio-
 nem integram habuit; vique hujus ju-
 ris Jesuitas & Capuccinos annuentibus
 ipsis Lutheranis recepit, nec unquam
 hoc jus amisit: Ad hæc Lutherani re-
 sponderunt, quod in Carmelitarum re-
 ceptionem nec consentirent nec dissen-
 tirent, quin tamen propterea quicquam
 aut pacis instrumento derogari, aut
 aliis civitatibus, apud quas idem casus
 verteretur, præjudicari vellent, de cete-
 ro autem Carmelitæ Augustani se onera
 publica, uti tributum, census &c. præ-
 stituros sponderent, secus expellendi.
 Hos confestim interpellabant Constans-
 tienses Deputati, reponentes, quod
 circa tributum conventio fieri posset,
 circa alia autem Carmelitæ pari cum
 ceteris Religiosis privilegio gauderent,
 & si debita onera præstare renuerent,
 Hist. Eccles. Tom. LXI. S s ne-

Sæc. XVII. nequaquam expulsionem, sed aliis con-
A.C. 1649. gruis mediis compelli valerent. Ni-
 hilominus Lutherani instabant, ut Car-
 melitæ quidem, non tamen eorum con-
 victores, pro rebus ad suum victum neces-
 sariis eadem cum ceteris Religiosis im-
 munitate gaudeant, & restituto granario
 nulla alia bona immobilia sibi deinceps
 vendicent, ea tamen, quæ actu possi-
 dent, Urbis jurisdictioni obnoxia &
 vectigalia essent. Postremam condi-
 tionem rejecerunt Deputati, asseren-
 tes prius indagandum esse, qualiter
 alii Religiosi, eorumque bona Urbis
 jurisdictioni subjecta forent. Modera-
 tiores tamen evaserant Lutherani, post-
 quam eisdem expositum, quod si Con-
 ventum sibi vendicare vellent, expen-
 sas ferme undecim florenorum millium
 in illius emptionem factas refundere
 cogerentur: tum vero in granarii a
 Catholico Magistratu factam donatio-
 nem die decima nona Martii ipsimet quo-
 que consenserunt, tradito desuper Car-
 melitis diplomate. Interim Imperator
 die vigesima tertia Aprilis anno sequenti
 Norimbergam ad suos Legatos literas
 dedit, in quibus Carmelitas Augusta-
 nos in conventus sui possessione titulo
 oneroso aquisita servari petiit. Idem
 quoque Schreiberus Doctor nomine
 omnium Catholicorum civitatis Au-
 gustanæ

gustanæ a Deputatis Norimbergenfibus Sæc. XVII. A. C. 1649.
 transmissis flagitabat literis, quarum successum, ne Doctor Voitus impedi-
 ret, ipsemet Urbis Præfectus nomine
 Weiss, *et si secta Lutheranus*, eundem
 rogabat. Piccolominæus quoque a Cæ-
 sare & Imperatrice Eleonora Vidua
 impulsus, negotium horum Patrum
 in comitiis sibi vel maxime cordi ha-
 bebatur, spondebat insuper Carolus Baro
 de Avogur Franciæ Legatus, se non
 modo Patribus opem præstiturum, sed
 etiam Regis sui auctoritatem interpo-
 siturum, si instigantibus Lutheranis
 quicquam contra eos fuisset decretum.
 Nec hac pollicitatione contentus Fran-
 ciæ Legatus insuper ipsum quoque Sue-
 ciæ Cancellarium Alexandrum Erski-
 nium eo inclinavit, ut se tantum præ-
 stitutum, quantum ab illo Legatus in
 Patrum favorem postularet, pollicere-
 tur. Ad horum igitur patrocinium Maiern Exec. Tom. I. p. 629. Et Tom. II. pag. 651. Et 370.
 tandem die decima sexta Novembris
 Sueciæ Oratores declararunt, quod
Lutheranis saltem PASSIVE annuentibus,
ut Carmelitæ in urbe Augustana remanerent,
in idem ipsi quoque consentirent, ea tamen
lege, ut ultra numerum tempore executio-
nis admissum non auferentur, cumque Octa-
vius Piccolomineus tam ardentem horum Pa-
trum causam hucusque egisset, tentandum
foret, an non hac occasione facilius impe-
 trari

Sæc. XVII. *trari possent, quatenus Egræ Lutheranis
A. C. 1649. exercitium Religionis, & jus ad Senatum
indulgeretur: de cetero autem nec Augustæ,
nec in aliis civitatibus mixtis deinceps novi
Ordines vel Clerici alii, quam, qui anno
1624. fuerant, inveherentur. Tandem
vero die vigesima prima Julii anno se-
quenti decisum, Carmelitas Augustæ
in tranquilla sui Conventus possessione
relinquendos, præterea autem Augu-
stanos Prædicantes ab extraordinariis
tributis, exactionibus, & oneribus,
necnon vectigalibus pro vino & cerevi-
sia solvendis eximendos esse, quin hæc
concessio aliis noxæ esset, ne fors alia-
rum urbium præcipue Norimbergenses
Præcones eandem exemptionem ob-
tendere præsumant. Postea tamen Ma-
gistratus Catholicus acriter, incassum
licet, adversus hanc Præconum Luthe-
ranorum exemptionem reclamabat, eo-
quod ea in absentia alterius partis il-
lis fuisset concessa, & hi mere Laici
essent.*

§. LXIX.

Continuata Parisiensis populi seditio.

*Hode Hist.
de Louis
XIV. t. I.
lib. 8.* **Q**uamvis anno priori inter Ludovi-
cum XIV. Franciæ Regem & Pari-
siense Parlamentum pax reddita esset, &
Regina, quæ se suumque Filium Pa-
risiis

rifiis velut captivum detineri indignata die decimo tertio Septembris urbe ex-
 cesserat, ejusdem anni die ultima Octo-
 bris Parisios rediisset, nihilominus ex-
 turbidis Parlamenti consiliis, & immo-
 deratis populi petitionibus haud ob-
 scure cognosci poterat, quod utraque
 pars per temporariam hanc pacem dun-
 taxat ad arma paranda latius temporis
 spatium quæsierint, & quidem Parla-
 mentum, ut arrogatam sibi auctorita-
 tem diutius tueretur, & Regina,
 ut illatæ injuriæ vindictam eo potentius
 exerrere posset. Eo ex fine Parlamen-
 tum Parisinos cives arma sumere, Ur-
 bis portas custodiri, viasque ad inve-
 hendam annonam apertas teneri jubet,
 singulisque immodicas pro alendo mi-
 lite exactiones imperat: Nominatur e-
 tiam novi hujus exercitus Ductor Ele-
 bosius: Econtrario Regina raptim de-
 cem armatorum millia contrahit, qui-
 bus Condæus Princeps præerat, ad-
 ductis e Belgio veteranis militibus:
 ipsa vero Regina unacum Rege Filio
 suo, Mazarino Cardinale, aliisque pri-
 mariæ Nobilitatis Viris die sexta Ja-
 nuarii clam concubia nocte Parisiis ad
 oppidum S. Germani tanta itineris fe-
 stinatione secessit, ut omnes Aulici,
 deficientibus lectis, super asseres stra-
 mine contactos cubare cogentur: Pau-

Sæc. XVII.
 A. C. 1649.

*Daniel hist.
 de France
 t. 10. p. 73.
 Voltair. hist.
 du Parlm.
 cap. 56.*

Ss 3

lopost

ditio.
 dovi-
 Pari-
 et, &
 Pa-
 risiis

Sæc. XVII. Iopost Rex Parlamenti Curiam Parisiis
A. C. 1649. Montem - Argium transtulit, hacque
 super read Parisiense Parlamentum regias transmisit literas, quas tamen illud acceptare nolens, suos Deputatos ad Reginam ablegabat: Hos tamen illa vicissim ab alloquio exclusit: Ea repulsa vehementius commoti Parlamentarii, die nona ejusdem Mensis Mazarinum Cardinalem omnis mali Authorem, publicæ quietis perturbatorem, Regis Regnique sui hostem declararunt, eidem injungentes, ut eadem adhuc die Aula, & post octiduum Regno excederet, evoluta autem hoc termino ab omnibus Regni subditis comprehendi, libere posset. Interim vero Condæus Princeps urbem arcte cinctam tenebat, & Charentonio, quam urbem factiosi infederant, expugnato Parlamenti copias profligabat, trucidato Clanleo civitatis Præfecto. Tandem vero Parisinis fame, & multiplici calamitatum genere pressis, Parlamentum de reconciliatione agere cæpit; nec etiam a pacis alienus erat Mazarinus, qui præsens bellum utrinque dubium, Regique Regnoque perniciosum, sibi met vero præprimis funestum, indecorum, ac exitiale fore cognoscens, Reginam eo inclinabat, ut ad Parisinos Proceres, & Belliduces facialem ablegat

legaret, qui præteritorum oblivionem Sæc. XVII.
 polliceretur, si intra quatrimum sese A. C. 1649.
 Regi sisterent, veniam exoraturi. De-
 cernuntur igitur a Parlamento Talonius, Melianus, & Bignonius, qui coram Rege ac Regina & Proceribus ingenue fassi sunt, quod læsa fide Regi debita populus, licet improborum injuriis stimulatus, infano impetu in Regem, patriamque effuso internos suos dolores vindicare aggressus sit: nunc vero Urbs præteriti erroris veniam exoret, pollicita, se nunquam per recrudescentem armorum libidinem ab obsequio recessuram. His addidit Talonius:
 „Misisti Augustissima Franciæ Rectrix
 „ad nos fecialem, nostram fidem, probitatemque exploratura: quod autem
 „hunc inauditum remisimus, id reverentiæ, non proterviæ tribuas; non enim usque adeo nostræ conditionis oblitus sumus, ut nos ad Principem & Dominum nostrum æquiparemus: noscimus, supremarum potestatum esse, inter se mittere & accipere feciales: si autem nos ut tales agnoscis, merito gloriam utpote nobis indebitam deprecamur, sola fide, & servili obsequio contenti: si ut reos respicis, condemna supplicio paratos, quod meruimus. His verbis submissione plenius ad clementiam inclinata Regina indulgit

Sæc. XVII. A. C. 1649. dulcit, ut hi Delegati in oppido Sancti Germani cum Regii Senatus Primoribus de concordiaë pactis agerent: cum hi autem a confessu Mazarinum excludi peterent, Regina vero contra obsisteret, eo etiam admisso, die prima Aprilis post crebras consultationes ultro citroque habitas tandem pacis articuli fuere firmati, ac sancita præteritorum venia utrinque placuit, ut cunctis in integrum restitutis, Rex Lutetiam Parisiorum reverteretur, vestigalia minuerentur, & cum Hispaniarum Rege, cujus Oratorem nuperrime Parlamentum perhonorifice exceperat, firma pax iniretur: Hæc pacta Parlamentum ad acta retulit, non sine magno populi jubilo, quamvis Belliduces ac Procerum nonnulli acrius reclamarent, Hispani subsidii pollicitatione animati: nihilominus Rex pacem hanc omnino ratam haberi præcepit; maluit enim subditos suos minus domitos, quam Hispanos in Regno dominantes habere. Hi enim a factiosis in auxilium evocati, Ypras & San - Venantum Belgii urbes jamjam recuperarunt, necnon Harcurtium Comitem Franciæ Marefcallum a Cameracensi obsidione repellentes, in Catalonia Constantinam civitatem suis armis subjecerunt, mox in interiora Franciæ viscera grassaturi.

§. LXX.

Sæc. XVII.
A. C. 1649.

§. LXX.

*Turcarum classis a Venetis igne
combusta.*

Interim Jacobus de Riva Venetorum Architalassus obsessis Helesponti faucibus Constantinopolitanam classem tam arte circumvallatam tenebat, ut Turcæ nec annonam, nec merces advehere possent: Ut ergo Venetorum vires distraherent, Africanam classem anno superiore maximis sumptibus instructam evocarunt; ne igitur Veneti ab utraque hostili classe includerentur, relicto apud Helespontum Jacobo, collectisque, quotquot poterant navibus, in occursum hostis properarunt, quo conspecto Constantinopolitanæ classis Præfectus, cum Auster Turcis secundior, quam Venetis afflueret, dispatis pleno sinu velis, longius in altum non animadvertentibus Venetis sese abstulit, Smirnamque versus contendit. Attamen Jacobus sibi certaminis copiam simul & gloriam fuisse ereptam gravius ferens, fugitivos strenue insequitur, eosque in portu Foggiano deprehendit, cumque Turcarum Præfectus improvida securitatis fiducia sopitus, nec vicinum mare dispositis circum navibus tutum reddere, nec portus

*Nani Hist.
Ven. l. 5.*

Sæc. XVII. A.C. 1649 tus aditum obstruere satageret, Jacobus cum suis navigiis inuectus, horrendam globorum & flammæ tempestatem in hostium naves detonuit, novemque navigia præter unam triremem, & tres myoparones in cineres redegit, non absque notabili Turcarum clade: Cecidere Turcarum ferme tria millia, & quingenti Christiani e dira servitute redempti: coopertum erat mare occisorum cadaveribus, & litora fugientium turmis: Reportata hac victoria Jacobus cum sua classe & Melitensium trimibus in Insulam Cretensem vela fecit, accepto nuntio, quod Turcæ Suddam urbem expugnare tentarent. Opportune Petrus Didacus Venetorum Bellidux Turcarum castris belli tormenta in editiore loco opposuit, ac crebra explosione tantam stragem obfidentibus intulit, ut trucidato Turcarum Architalasso ceteri omnes conscensis navibus aufugerent. Nec tamen propterea Cussenius a Cretæ Urbis obsidione cessabat, exiguo licet successu, eoquod validiores militum suppetiæ, quas ex Constantinopolitana urbe præstolabatur, nondum adventassent: ne vero otiosus nil interim egisse videretur, Cydoniam urbem quater moliebatur, strenue tamen ab obsessis identidem repulsus. Tandem recente milite,

lite, magnoque armorum apparatu Sæc. XVII.
A. C. 1649.
 auctus, totam rabiem in Cretam ef-
 fundere statuit: cum autem navis illa,
 quæ bellicum ærarium advexerat, nu-
 per Fogiano incendio absumpta fuisset,
 deficiente ære militari Janisari seditio-
 ne mota plurimos trucidarunt, atque
 Bassarum, imo ipsius etiam Cussenii
 tentoria deprædati sunt. Altera au-
 tem die Cussenius profuso auro seditio-
 sos placare intentus, Urbis propugna-
 culum, cui Bethleem nomen, iterata
 aggressione expugnare nitebatur: non
 una tamen vice repulsus, die nona
 Octobris soluta obsidione ad castra re-
 versus est: Postea crebris velitationi-
 bus dimicatum est, Turcis plerumque
 clade affectis.

§. LXXI.

Horatii Justiniani Cardinalis obitus.

Hoc item anno Cardinalis Horatius Ciacon. in
vita Innoc. X.
 Justinianus patria Genuensis die
 vigesima quinta Julii septuagenarius
 Romæ decessit. Hic inter pietatis exer-
 citia adolescens, emenso studiorum
 curriculo sese familiæ Presbyterorum
 Congregationis Oratorii addixit, in
 qua animam suam omni virtutum ge-
 nere, ingenium vero Theologicis aliis-
 que disciplinis excoluit: Erat eloquens
 Ora-

Sæc. XVII. Orator, in Sacris Codicibus versatiffimus, atque in Sacræ & profanæ Historiæ studio assiduus; unde hujus Viri fama brevi Romæ divulgata, ipse procurante Francisco Cardinale Barberino, variis Ecclesiæ negotiis adhibitus, atque ab Urbano VIII. ad Montaltensem, & postea ab Innocentio X. ad Nucerinam Ecclesiam translatus, utramque non sine magna laude aliquamdiu rexit, variisque ædificiis ad Cleri, gregisque sui utilitatem erectis auxit: Tandem vero Purpura Romana decoratus, summi Pœnitentiarii & Bibliothecarii munere fungebatur: Vix autem quintum Cardinalatus annum absolverat, cum non absque Curiæ Romanæ luctu decederet, in æde B. Virginis Vallicellæ sepultus. Erat reipsa Vir pius, doctus, prudens, moribus comis, mansuetus & humilis, omnibusque numeris absolutus. Eminuit præterea in eo singularis erga B. Virginem pietas, & rara erga peccatores benignitas. Collegerat acta Synodi Florentinæ: scripsit quoque professionem fidei pro Orientalibus, eruditosque tractatus de Sacramentis Græcorum, & Primatu S. Petri. Salubribus quoque præceptis Archiconfraternitatem Confalonis in meliorem formam reduxit, atque in Monachorum Basiliensium comitiis pro restau-

restauranda Regulari observantia, & Religionis, ac Religiosorum commodo plurima edidit decreta ab ipso summo Pontifice maximi habita.

Sæc. XVII.
A. C. 1649.

§. LXXII.

Ægidius Carillus Albernotius Cardinalis mortuus.

Alter ex Purpuratis, qui hoc anno obiit, erat Ægidius Carillus Albernotius natione Hispanus, qui jurisprudentiæ scientia clarissimus ad præcipuos civiles Regni Magistratus assumebatur, atque in Granatensem & Vallisoletanum Auditorem, & Pampilonensem Præsidem nominatus, ex Inquisitore Archidiaconus Burgensis, demum vero ad Hispani Regis preces Cardinalis, & postea Archiepiscopus Tarentinus renunciatus est. Hac vero Ecclesia sponte dimissa Romæ Catholici Regis negotia Orator non sine magna Regni utilitate, propriique nominis gloria usque ad extremum vitæ habitum procurabat; moribus enim suavissimis præditus, æque ac viligantissimus, rerumque politicarum apprime instructus, gravissima quæque negotia mira laboris facilitate, & successus felicitate expediverat. Tandem vero senio & vigiliis fractus, die vigesima

*Victorel. in
addit. ad
Ciacon. Ug-
hell. Ital.
Sac.*

De-

Sæc. XVII. Decembris Romæ decessit, tumultus
A. C. 1649. in Ecclesia S. Annæ.

§. LXXIII.

Alberti Ratisbonensis Episcopi extrema.

Brach. Hist. lib. 7. **P**ari fato rebus humanis hoc anno valedixerat Albertus ex nobilissima Comitum de Törring prosapia ortus. Hic per triginta sex annos inter plurimas belli molestias, variosque casus maxima cum laude Ratisbonensem Ecclesiam Episcopus rexerat, cui Franciscus Guilielmus Osnabrugensis Episcopus successit.

§. LXXIV.

Innocentii X. Papæ Constitutiones.

Bull. Magn. Const. 30. Innoc. X. **P**rodiit die tertia Maij Apostolicum diploma, quo Innocentius X. Pontifex Maximus pro anno hujus sæculi quinquagesimo Jubilæum indixit, atque alia Constitutione die sexta ejusdem Mensis omnes indulgentias etiam perpetuas ita suspendit, ut hæ eodem anno durante, nemini prodesse, aut suffragari possent. Pariter die secunda Januarii decreta & Constitutiones Monachorum Ordinis S. Basilii auctoritate Apostolica confirmavit, & circa
 nume-

numerum Regularium statutum Tri-
dentini Concilii, aliorumque Pontifi-
cum die decima septima Decembris in-
novans, Regularibus in Italia degenti-
bus præcepit, ut exacte & scriptote-
nus sua bona & possessiones describerent.

Sæc. XVII.
A. C. 1649.

§. LXXV.

*Varia Sacrarum Congregationum
decisiones.*

Præter diversas Decisiones, quæ hoc
anno a Sacrarum Congregationum
Judicibus emanarunt, præcipue Sacra
Episcoporum Congregatio die octava
Januarii declaravit, quod Sacerdos in-
quisitus, sed absolutus celebrare va-
leat, dummodo absit scandalum. Ejus-
dem vero Mensis die duodecima deci-
sum, quod Pœnitentiariæ Breve non
suffragetur excommunicatis in foro ex-
terno. Eadem quoque Congregatio
die decima octava Martii statuit, quod,
licet absolutio a censuris differat a Sa-
cramentali etiam in hoc, quod ea e-
tiam invitis ex causa dari possit, antea
tamen curandum sit, ut delinquentes
errorem suum recognoscant, & abso-
lutionem humiliter petant. Præce-
ptum quoque habetur die decima sexta
Aprilis ab eadem Congregatione, quod
Regularis Monialium Confessarius cum
focio

*Constit.
S. Congr.
Epis. Rit.
Immun. &c.*

Sæc. XVII. Socio in suo Conventu degere teneatur: sequenti autem die a Concilii Congregatione declaratum, quod Episcopus Regularibus Capellanis castrensis prohibere nequeat, ne Missas ante Parochialem celebrent: nec etiam benedictio Nuptialis sit facienda a Parochis extra, sed in Ecclesia: Statutum quoque legitur die undecima Augusti a S. Immunitatis Congregatione, quod Regulares non admittant ad celebrandum in suis Ecclesiis Religiosos eorum vel alterius Religionis exteros & vagos seu peregrinos, nisi examinatis obedientiæ literis & testimonialibus desumpto Sacerdotio, vel si sunt Sacerdotes sæculares, visis literis a Vicario Generali seu foraneo Episcopo loci subscriptis.

§. LXXVI.

Scriptores Catholici hoc anno defuncti.

Ugell. Ital. Sac. Clarmond vit. lit. Vir. p. 9. Horn. Hist. Eccl. n. 6. pag. 386. Exitialem vitæque suæ postremum annum habuere Scriptorum Ecclesiasticorum nonnulli, quorum opera recensenda veniunt, & quidem primo decessit celeberrimus Augustinus Barbosa Episcopus Oxentensis in Lusitania, qui præter plura opuscula juridica typis vulgavit suum formulare Episcopale, reperto-

repertorium Juris Canonici & civilis, Sæc. XVII. A. C. 1649.
 tractatum de Canonicis, & de Officio Episcopi, varias juris tractationes, & Collectanea Doctorum in quinque libros Decretalium. II. Angelus Manrique ex Ordine Cisterciensium, scripsit Lauream Evangelicam, Sanctorale Cisterciensium, Annales eorundem, & Meditationes. III. Franciscus Cabrera Ord. FF. S. Augustini edidit remedia corporalia & spiritualia contra pestem præter genealogiam Pontii Legionensis. IV. Caspar Scioppius, qui ejurato Calvino ad Romanæ Ecclesiæ sinum reversus, plusquam quadraginta octo varii argumenti opuscula, mordaci tamen plerumque stylo & canina facundia vulgavit: ex illis vero duntaxat celebriora adducere lubet: scripsit autem suum Ecclesiasticum, qui tamen suis quoque nævis haud caret, item commentarium de arte critica, Imagines illustrium Virorum, Elementa Philosophiæ Moralis Stoicæ, Paedia Politices, classicum belli Sacri contra rebelles Ecclesiæ Principes, Stemma de Origine Domus Austriacæ, Alexipharmacum Regium contra Philippi Mornæi calumnias, observationes ad Symmachum, & Diatribam de ratione addiscendi linguam hebraicam & Chaldæam. Ceterum ad consueta convitia,
Hist. Eccles. Tom. LXI. T t qui-

Sæc. XVII quibus A catholici reuerfos ad veram
 A. C. 1649 fidem obruere folent, rejicienda est
Hornii spurciffimi juxta ac mendaciffimi Calviniftæ fabula, qua Scioppium Patavio, ubi ob Jefuitarum vitæ ejus infidiantium metum delitefcebatur, fcriptis Leidam literis transitionem iterum ad Evangelicos, fi in gratiam reciperetur, obtuliffe comminifcitur. V. Joannes Coscia, qui Differtationes jurium de præcedentia Lectorum, de renuntiatione Religioforum ante Religionis ingreffum, & de extincione fideicommiſſi edidit. VI. Adrianus Mulleman Monachus & Duacenfis Theologus, fcripfit tractatum moralem de jure & juſtitia, & de cenſuris Eccleſiaſticis, necnon Annales Monafterii Dunenſis, & deducionem difficultatis inter illius Religioſos & Principem Orangiæ. VII. Chriſtophorus Juſtellus edidit Codicem Canonum Eccleſiæ Africanæ, Bibliothecam Juris Canonici & Hiftoriam Genealogicam Alvernæ. VIII. Lucas de Ayalo Ord. FF. Prædicatorum, publici juris fecit Hiftoriam perverſæ vitæ & horrendæ mortis Antichriſti, & Hortum auguſtiſſimi Nominis Mariæ. IX. Simon Okolſki ex eodem Ordine poſteris reliquit ſuum Orbem Polonum, Ruſſiam Floridam, & Præconem Divini Verbi B. Albertum Magnum. X. Tho-

Thomas Aquinas a S. Joseph Carine- Sæc. XVII.
 lita Excalceatus doctrinæ suæ eximiæ A. C. 1649
 monumenta reliquit Dissertationes Hi-
 storico - Polemicas de Patriarchatu
 Eliæ, & de Origine ac primordiis gen-
 tis Francorum, observationes Histori-
 cas in Discursum Historicum Ludovici
 Cantarelli de Matrimonio Ausberti &
 Belitildis, Epistolas ad Jacobum Au-
 zolium Peyrium & Renatum Gros: An-
 titheses inter pomum Adami, & ci-
 bum Eucharisticum, ultima verba San-
 ctorum contra oblivionem mortis, præ-
 ter plurium Venerabilium vitas & alia
 opuscula. XI. Joannes Floydus e So- V. d. supra
 cietate, cujus libri adversus Chalce- tom. 58.
 donensem Episcopum tecto nomine e- l. 196. p. 645.
 diti, quænam in Galliis fata tulerint, & 705.
 jam supra meminimus. Præter hos
 suo nomine prælo subjecit Synopsin
 Apostasiæ Marci Antonii de Dominis,
 Detectionem Hypocrisis ejusdem, &
 censuram in ejusdem libros. Scripsit
 etiam contra varios Novatores, præter
 alium librum, cui titulus: *Impostura*
pietatis Puritanæ. XII. Antonius San-
 ctarellus, itidem Socius, qui edidit
 tractatum moralem de hæresi: cum
 autem in hoc libro plurima Regiæ au-
 ctoritati adversa propugnasset, & nec
 ipse nec sui errasse putarent, inde gra-
 vis in Francia tumultus oriebatur, li-
 berque

T t 2

berque

Sæc. XVII. berque a Senatu & Parisiensi Academia damnatus fuerat. Scripsit insuper

tractatum de Jubilæo & varias resolutiones. XIII. Didacus Lopez Jesuita, qui posteris reliquit Harmoniam Scripturæ divinæ. XIV. Vincentius Caraffa ejusdem Societatis Scriptor, qui Itinerarium ad alteram vitam, Peregrinum terræ, Fasciculum myrrhæ, aliaque Ascetica edidit opuscula.

Vid. ut supra l. 196. §. I. p. 367.

§. LXXVII.

*Scriptorum A catholicorum obitus
& opera.*

Freher. Theatr. Vir. erud. p. I. sect. 3. Wolf. Bibl. Hæbr.

Ex Scriptoribus A catholicis, qui hoc anno denati sunt, suis lucubrationibus inter suos sibi famam conciliant Hermanus Hildebrand, qui declarationem articulorum de mortis Christi efficacia, de reprobationis causa & privata communione præter triumphum Christi enucleatum edidit. II. Guilielmus Lyserus edidit depulsionem accusationum Jesuitarum contra Confessionem Augustanam, Inquisitionem de Prædestinatione, ephorismos ex epistola ad Hebræos, trifolium veræ Religionis, & nonnulla alia. III. Christophorus Dauderstadius commentaria in Psalmos, dispositionem Evangeliorum, & conciones Passionales edidit.

IV. Fri-

IV. Fridericus Spanheimius scripsit du-
 bia Evangelica, Chamierum contra-
 ctum, exercitationes de gratia univer-
 sali, & in epistolam ad Hebræos, epi-
 stolam de controversia Ecclesiæ Angli-
 canæ, pluraque alia. IV. Jacobus
 Martinius, vulgavit Collegium Anti-
 Photianum, vindicias Ecclesiæ Luthe-
 ranæ contra Valerianum Magnum, &
 disputationem in primum Augustanæ
 Confessionis articulum. V. Conradus
 Horneius, scripsit compendium Theo-
 logiæ & tractatum de universali Christi
 merito præter varias disputationes. VI.
 Gerardus Vossius typis vulgavit librum
 de idololatria, historiam Pelagianam,
 & tractatum de tribus Symbolis. VII.
 Georgius Lætus scripsit Peregrinatio-
 nem Pauli, commentaria in converfio-
 nem ejusdem, tractatum de ratione con-
 cionandi ad methodum Anglicanam.
 VIII. Arthurus Duck edidit tractatum
 de usu & auctoritate Juris civilis in do-
 miniis Principum Christianorum. IX.
 Erhardus Lauterbach posteris reliquit
 Syllogem disputationum Synodali-
 um de imaginibus, miraculum Augustanæ
 Confessionis, Syntagma de præcipuis
 fidei articulis, & tractatum de Præ-
 destinatione.

Sæc. XVII.
A. C. 1649.

Sæc. XVII.
A. C. 1650.

§. LXXVIII.

Continuata dissidia inter Archiepiscopum Trevirensis, ejusque Canonicos.

Massen. Annal. Trev. lib. 25.

Hic annus sæculi currentis quinquagesimus, quo universus Christianus Orbis non modo ob redditam pacem, sed præcipue ob Anni Sacri gratias tripudiabat, Trevirensibus oppido funestus fluxerat; postquam enim Philippus Christophorus Archiepiscopus recuperatis Ehrenbreitsteiniana & Hermersteiniensi arcibus vi pacis Westphalicæ fœdera cum exteris pangendi libertatem nactus erat, Gallorum patrocinio elatus, cunctis Canonicis Cathedralibus, qui ejusdem innovationibus obstiterant, exauctoratis, novos ad suum genium compositos instituit, eisque insuperhabita Innocentii X. Pontificis Maximi Constitutione, antiquorum Canonicorum beneficia & redditus adjudicavit, sibi que jam senescenti ex novo hoc Capitulo Coadjutorem Philippum Ludovicum Baron de Reiffenberg eodem anno die vigesima octava Aprilis substituit. Verum Capitulares hoc exemplo nunquam audito offensus vicissim in Præposituræ Successorem elegerunt Emericum a Metternich: Pa-
pa

pa tamen nec hujus nec illius electio- Sæc. XVII.
 nem ratam habuit, hinc Franciæ Re- A. C. 1650.
 gis, illinc Cæsaris indignationem veri-
 tus. Nihilominus veteres Canonici,
 ne Archiepiscopus armata Gallorum
 ope hucusque attentata stabiliret, Tre-
 virensē Urbem per vim recuperare
 statuerunt; collectis igitur undique co-
 piis Carolus Casparus a Petra Canoni-
 cus summo silentio ad suburbana S. Ma-
 ximini penetrat, cumque se duntaxat
 pro pace inter Archiepiscopum & Ca-
 nonicos reddenda cum exigua militum
 manu ad Canonicorum tutelam adducto
 adventare obtenderet, eum cives mi-
 litesque Electorales haud cunctanter
 admisere: apertis autem portis mox
 latens miles irruit, ac præcipuas Ur-
 bis portas & loca obsidet. Hoc nun-
 tio territus Elector, se Palatiumque suo
 milite propugnari jubet: ast non modo
 Electoralibus, sed & prætoriiis legioni-
 bus adversus Canonicos arma stringere
 recusantibus, Carolus propugnaculum
 nuper a Gallis excitatum obsedit, ac
 die decima Junii præsidiarios ad dedi-
 tionem compulit. Indoluit vehemen-
 ter Elector, cum denuo se in suorum
 Capitularium potestate positum cerne-
 ret: nuperæ igitur captivitatis memor
 exacerbatos clementia, præteritorum
 oblivione amplisque promissis placare

Tt 4 fata-

Sæc. XVII. fatagebat, interim vero datis in Fran-
A. C. 1650. ciam literis Gallos evocabat: vicissim
 quoque Canonici Lotharingum militem
 accersebant, unde factum, ut quamvis
 Lotharingii Gallos urbe ejecissent, tota
 Archidiæcesis rapinis, incendiis, mu-
 tuisque cladibus funestaretur.

§. LXXIX.

*Pax inter Electorem & Capitulum
reddita.*

Frustra Franciæ Regina per Corval-
 lium Legatum suum pacem inter
 Principem, & ejus Capitulares reddere
 nitebatur: cum enim is Reiffenbergium
 in Coadjutoris officio stabiliri, & So-
 terianum Fidei-commissum approbari
 peteret, Capitulares omnem concor-
 diæ negotiationem abruptere: Magis
 secundus aspirabat successus Cæsaris
 Principumque Legatis, quorum opera
 in comitiis Norimbergensibus Colonien-
 sis & Moguntinus Electores, necnon
 Bambergensis Episcopus arbitrorum
 partes egerunt, ac die vigesima tertia
 Mensis Augusti auditis utrinque parti-
 bus, ponderatisque mutuæ defensionis
 & accusationis capitibus in sequentes
 convenere conditiones. I. „Vigore
 „pacificationis Monasteriensis omnibus
 „oblivioni traditis, quæ hactenus per-
 „peram

„peram ac violenter acta sunt, bene-
 „volentia observantiaque inter Electo-
 „rem & Canonicos, atque Ordines pa-
 „triæ renovetur. II. Restituantur om-
 „nes in eum statum, in quo ante hos
 „motus fuerunt, in primis Elector, de-
 „inde Canonici, ac tum Ordines, &
 „Status patriæ. III. Decretum *de non*
 „*invocando alieno auxilio*, calendis Apri-
 „lis proxime factum, confirmetur. IV.
 „Electori permittatur administratio,
 „atque imperium nunc & deinceps in
 „Consiliarios suos, & Præfectos mili-
 „tares, ipsosque milites, & cæteros
 „ministros, qui, sicut Electori, ita &
 „Capitulo Metropolitano eodem plane
 „juramento fidelitatis obstricti erunt.
 „V. Omnes, qui occasione horum mo-
 „tuum profugerunt, in pristinum locum
 „& honorem reponantur, & captivi
 „ex custodia dimittantur, præprimis
 „autem duo Electorales ministri Pro-
 „cancellarius Grafs & Consiliarius Mæl-
 „baum, jamque e custodia liberati, si
 „in muniis suis permanfuri sint, ut tam
 „Electori, quam Capitulo, sicut alii
 „ministri, de fide & obsequio caveant.
 „VI. Electio Philippi Ludovici Ba-
 „ronis de Reiffenberg in Coadjutorem,
 „utpote paci Monasteriensi, constitu-
 „tionibus Imperii, & Statutis provin-
 „cialibus contraria; item collatio præ-
 „positi

Sæc. XVII.
 A. C. 1650.

T t 5

„posi-

Sæc. XVII. „posituræ Metropolitanæ, omniaque
 A. C. 1650 „inde dependentia vana & irrita sint:
 „& ipse Reiffenbergius titulo & præ-
 „tensione Coadjutoriæ deinceps absti-
 „neat, sub pœna violatæ pacis, im-
 „posito illi desuper silentio perpetuo.
 „VII. Capitulo relinquatur jus vetus
 „eligendi tam Archiepiscopum, quam
 „Coadjutorem & Præpositum, sicut &
 „conferendi cæteras præbendas, & di-
 „gnitates. VIII. Aboleantur intro-
 „ductæ novationes, injuriæ, violen-
 „tiæ, atque inter hæc præprimis Sa-
 „trapæ Zellensis Philippi Jacobi de Wal-
 „deck postrema captivitas, & expressa
 „lytri obligatio. IX. Norma & regula
 „Electoralis obligationis sit capitulatio
 „Archiepiscopalis, cujus vigore Ele-
 „ctor teneatur in gravibus negotiis,
 „quæ cum patriæ periculo conjuncta
 „sunt, cum Capitulo Metropolitano
 „communicare, & sine ejus consilio in
 „hujusmodi rebus nihil statuere, aut
 „attentare. X. Reducatur forma
 „vetus judiciorum aulicorum, præser-
 „tim Confluentini, & Trevirensis, re-
 „motis atque abolitis novissime contra
 „morem patriæ introductis Commissio-
 „nibus, parlamentis, atque aliis hujus-
 „modi, ex quibus magna judiciorum
 „ac jurisdictionum confusio exorta sit.
 „XI. Restituantur Capitulo Metropol-
 „tano

„tano, ejusque collegis Prælatura, di- Sæc. XVII.
 „gnitates, præbendæ, decimæ, pen- A. C. 1650.
 „siones, cæterique proventus: impri-
 „mis pagi in Satrapia Grimburg, Do-
 „mus & Satrapia Hunolstein, Commu-
 „nitas Mertzig & Sargaw, quæ ad
 „Archidiæcesin spectantia Elector sine
 „libero Capitulo consensu ad Fidei-com-
 „missum Sotericum transtulit. XII.
 „Restituantur in bona, præbendas, &
 „mobilia Joannes Wilhelmus Husman
 „Præpositus, Hugo Fridericus ab Eliz
 „supremus Choriepiscopus, Wolfgan-
 „gus Fridericus a Coppenstein Archi-
 „diaconus, Emmericus a Metternich
 „Scolasticus, & Domini a Leyen. XIII.
 „In futuris contributionibus imperia-
 „libus, provincialibus, & cameralibus
 „permittantur Patriæ Ordinibus sui
 „conventus, & libera in iis suffragia,
 „ac consuetæ dispositiones circa mo-
 „dum & formam tributa colligendi,
 „denique in iisdem conventibus decer-
 „nendi & dirigendi, juxta morem &
 „privilegia Ordinibus concessa, salvo
 „jure supremo Principis, ut inter dis-
 „sidentes ipse autoritatem & judicium
 „suum interponat. XIV. Nova vecti-
 „galia, vino, frumento, cæterisque
 „commerciis imposita, & extraordina-
 „ria ministeria tollantur, atque in eo
 „subditis parcatur. XV. Numerus Ju-
 „dæo-

Sæc. XVII. „dæorum contra præscriptum ordinem
A. C. 1650 „non augeatur, receptis autem jus &
 „iustitia quemadmodum Christianis,
 „sine differentia administretur. XVI.
 „Munimenta in civitate Trevirensi &
 „Berncastel, sine consensu Capituli ex-
 „tracta diruantur, atque in hunc usum
 „adhibita ædificia publica, viæ atque
 „horti antiquis possessoribus resti-
 „tuantur.,

„Denique quibuscunque per hos
 „motus vis atque injuria illata est,
 „quorum nonnulli in instrumento hu-
 „jus pacificationis nominantur, ii om-
 „nes in pristinum locum, & possessio-
 „nes antiquas reponantur, sine dolo &
 „fraude.,

§. LXXX.

*Nova Coadjutoris Trevirensis
 Electio.*

Firmatis utrinque hisce conditionibus,
 more prisco per Capitularium suf-
 fragia in Coadjutorem eligebatur Ca-
 sparus a Petra, cujus tamen electioni
 obstrepebant Canonorum nonnulli,
 qui Hugoni Eberardo Cratzio vita & mo-
 ribus probatissimo, nimium tamen Gal-
 lorum studiis addicto favebant: Verum
 ipsemet Pontifex Caroli electionem ab
 omni vitio immunem, huncque Vi-
 rum

rum spectata præfenti rerum, tempo-
 risque vicissitudine digniorem, & Ec-
 clesiæ utiliorem esse, datis ad Capitu-
 lum literis declarabat; probabatur in-
 super hujus Præfulis electio Ferdinando
 Cæsari, qui desuper mentem suam in
 quadam epistola die tertia Augusti ad
 Columnam Cardinalem data sat lucu-
 „lenter prodebat, inter cetera ita re-
 „scribens: „Cum uterque prætendens
 „causam suam nobis diligenter & ex-
 „posuerit, & commendarit, Nos mature
 „ac sollicite super id negotii pro eo, ac
 „ejus gravitas meretur, deliberavimus.
 „Sicut igitur Sanctitati suæ in his, quæ
 „ad cognitionem pertinent, quicquam
 „detrahere, vel derogare non intendi-
 „mus; ita sane, cum res novi in Ger-
 „mania ac plane periculosi foret exem-
 „pli, si in hoc vel simili casu majora
 „vota in dubium vel disputationem vo-
 „carentur, hoc præsertim tempore,
 „quo sopitis, quæ Catholicis cum Aca-
 „tholicis intercedebant (non sine in-
 „genti, quod dolemus, jactura) mo-
 „tibus, ex hac Catholici inter se ad
 „præfentaneam, non minus universæ
 „reipublicæ Catholicæ in Germania,
 „quam illius Archiepiscopatus, in con-
 „finibus belligerantium adhuc inter se
 „Catholici & Christianissimi Regis siti,
 „ruinam committi possent. Eique rei
 „præ-

Sæc. XVII.
 A. C. 1650.

Sæc. XVII. „prævertere, tum suam imprimis San-
A. C. 1650. „ctitatem, tum Nos quoque ex officio
 „Imperatorii nostri muneris omnino
 „deceat: benigne ac benevole Reve-
 „rendissimam Paternitatem Vestram re-
 „quirimus, ut in his ad suam Sanctita-
 „tem accurate referre, idque omni im-
 „pensiore cura agere velit, ut siquidem
 „id omitti non possit, sua Sanctitas
 „processum informativum super præli-
 „bata electione a Petra sine dilatione
 „formari, ac totum negotium, ex usu
 „consueto Germaniæ, & prout salus &
 „incolumitas reipublicæ Catholicæ in
 „Germania postulat, quantocius ter-
 „minari curet. Cupimus etiam, ut
 „Reverendissima Pat. V. in toto hoc
 „negotio favorem assistentiæ suæ Joanni
 „Hollero Serenissimi Archiducis Leo-
 „poldi Wilhelmi fratris nostri Charissi-
 „mi Agenti in illa Curia, ac in hac
 „caussa specialiter a dicto Electo a Pe-
 „tra instructo haud gravatim accom-
 „modet, &c.

Concordia igitur penitus restituta
 novus hic Coadjutor apud Principes Co-
 loniæ congregatos tantum effecit, ut
 Trevirensis, vicinæque ditiones a Lo-
 tharingi militis populationibus, atque
 hibernis liberarentur.

§. LXXXI.

Sæc. XVII
A. C. 1650.*Jansenii liber ab Episcopo Sueffionensi proscriptus.*

Non minore contentione, qua Jansenii fautores tam Parisiis, quam ^{Argentre} Romæ hujus Yprensis Episcopi famam ^{Coil. Jud.} & doctrinam vindicare certabant, va ^{de nov. er-} ror. t. 3. riis in locis ejusdem Adversarii tam ^{pag. 151.} Janseniani Augustini librum, quamejus doctrinam suppressere satagebant, ac præprimis Simon Sueffionensis Episcopus die quarta Februarii omnibus suæ Diæcesis Clericis & Laicis controversas de gratia quæstiones agitare, ac Jansenii opera pervolvere inhibuit, edito mandato hujus tenoris: „Simon „Dei & S. Sedis Apostolicæ gratia Episcopus Sueffionensis, omnibus Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quam Regularibus, atque etiam Laicis per Diæcesim nostram dispersis, Salutem „in Domino. Ubi primum extinctam „summorum Pontificum Gregorii XIII. „& Pii V. sollicitudine contentionem „de Divinis Auxiliis quorundam hominum, nescio quo novitatis pruritu „& disputationis studio repululescere „& renovari animadverterimus; tum „omni adhibita cautione providendum „nobis esse duximus, ne hoc malum „latius

Sæc. XVII. „latius serperet, neve illius contagio-
A. C. 1650. „ne solveretur unitas Spiritus & vin-
 „culum pacis inter eos, quibus nos
 „Divina misericordia præposuit: Ea
 „propter toto animi affectu in ea, quæ
 „sunt muneris nostri, incumbentes,
 „jam pridem prohibueramus, ne quid
 „in materia tam gravi & periculosa,
 „sive inter concionandum, sive inter
 „legendum, aut disputandum publice
 „proponeretur. Sed quoniam apud
 „nonnullorum animos autoritas no-
 „stra tantum quantum debuit, non va-
 „luit, atque etiam ausu temerario datæ
 „sunt in publicum Theses palam discu-
 „tiendæ, quæ ne agitentur, ab iis-
 „dem summis Pontificibus pridem cau-
 „tum fuerat, de ratione nostri officii
 „esse censuimus, quantocius huic malo
 „occurrere; hac de causa ne quis in-
 „tra nostræ hujus Diœcesis fines, cu-
 „juscumque sit Ordinis, gradus & con-
 „ditionis, in Sacris vel Concionibus,
 „vel Catechesibus, vel lectionibus sive
 „disputationibus, aut etiam scriptis
 „motas his temporibus de *Gratia* &
 „*Divinis auxiliis*, quæstiones proponat
 „& agitet, neve illarum capta occasio-
 „ne contraria suis dogmata invehantur,
 „aut eorum doctrinam usurpata autho-
 „ritate, & censura erroris damnet,
 „aut hæreseos, sub Anathemate pro-
 „hibe-

hibemus. Atque etiam ut de illis
 „constet, a quibus cavere unumquem-
 „que volumus, Constitutionem a sum-
 „mo Pontifice Urbano VIII. factam, ab
 „omnibus & singulis Diæcesis nostræ,
 „ea qua decet reverentia & animi de-
 „missione excipiendam, legendam &
 „recolendam proponimus ac significa-
 „mus, atque adeo ad ejusdem summi
 „Pontificis Urbani affectum totis viri-
 „bus accedentes, *librum, qui inscribitur*
 „*Augustinus, quique prodiit in lucem,*
 „*præfixo nomine Reverendissimi Domini Cor-*
 „*nelii Jansenii Yprensensis quondam Episcopi,*
 „*propositiones a summis Pontificibus dam-*
 „*natas continentem proscribimus. Manda-*
 „*musque omnibus Superioribus Com-*
 „*munitatum, tam sæcularium quam*
 „*Regularium, & quibuscunque aliis,*
 „*ut dictum librum neque asservent &*
 „*retineant, neque a suis legi, sive pu-*
 „*blice, sive privatim patiantur sub pœ-*
 „*nis, in prædicta Constitutione indictis.* „
 „Ut autem quid simile in posterum
 „non contingat, ne quis theses in Phi-
 „losophia, sive in Theologia publice
 „propugnandas suscipiat, nisi prius il-
 „las censuræ nostræ, aut Vicariorum
 „nostrorum Generalium subjecerit, sub
 „eadem pœna vetamus & interdicimus.
 „Atque ne quis ignorantiam præten-
 „dat, præsens Decretum a singulis
 „*Hist. Eccles. Tom. LXI. Uu* „Dice-

Sæc. XVII.
 A. C. 1650.

Sæc. XVII. „Diœcesis nostræ Parochis, & qua-
A. C. 1650. „rumcunque Communitatum Superio-
 „ribus publicari, & prima quaque ad-
 „ventus Dominica cujuscunque anni
 „publicationem renovari, sique opus
 „fuerit, ad valvas affigi, ut illius no-
 „titia ad omnes perveniat, volumus,
 „præcipimusque. „ Datum Sueffione
 quarta die Februarii Anno Domini mil-
 lesimo sexcentesimo quinquagesimo.

S I M O N,
Episc. Sueffionensis.

§. LXXXII.

*Varii libelli circa gratiæ controversias
 proscripti.*

*Abregé de
 l'Hist. Eccl.
 t. 3. p. 458.
 Argentré
 l. 6.*

Sub idem tempus Pater Franciscus
 Gonzalez Ord. FF. Prædicatorum
 Prior apud Salmanticensem Acade-
 miam denuntiabat, quemdam libellum,
 in quo plura adversus Divinæ gratiæ
 efficaciam contineri referebat: mox
 igitur nonnulli nominabantur Doctores,
 qui hunc partum maturo subjicerent
 examini, quo factò Inquisitorum Tri-
 bunal in Hispania ex eodem viginti
 duas propositiones tanquam temerarias,
 male sonantes, & D. Augustino sum-
 me injuriosas proscripsit, edito desuper
 decreto die decima octava Maij. Te-
 stan-

stantur Jansenistæ, has propositiones partim ex diverforum Jesuitarum thesibus & scriptis, partim ex libris Joannis Schinkelii Lovaniensis Doctoris fuisse excerptas: cum vero quidam Jesuita Duacensis Theologus librum ederet, ita inscriptum, *Catechismus seu Synopsis doctrinæ circa gratiam Divinam juxta Bullas seu contra hujus ævi Antidotum Pii V. Gregorii XXII. & Urbani VIII.* Duacensis Academiæ Doctores depromptis ex eodem libro quindecim propositionibus die sexta Octobris censoriam notam inussere, eademque die Romæ Generalis & Universalis Inquisitionis Congregatio coram summo Pontifice & Cardinalibus habebatur, in qua non modo præfatus liber, sed alius quoque, cui titulus: *Catechismus gratiæ* damnatus, librisque prohibitis accensitus est, edito desuper hoc decreto: „Cum in opusculis prædictis materia gratiæ Divinæ & liberi arbitrii contineretur, præfatus Sanctissimus Dominus Noster, ne mentes fidelium ex eorum lectura, periculo & scandalo exponerentur, per ejusdem Sacræ Congregationis qualificatores ad hoc specialiter deputatos, doctrinam in eis contentam examinari mandavit, eorumque censura demum relata, & auditis votis Eminentissimorum, &

Sæc. XVII.
A. C. 1650.

U u 2

„Reve-

II.
qua-
eric-
e ad-
anni
opus
s no-
mus,
lione
i mil-
o.
s.
r fias
ificus
orum
cade-
lum,
ratiæ
mox
ores,
erent
Tri-
ginti
arias,
sum-
super
Te-
stan-

Sæc. XVII. „Reverendissimorum Cardinalium Ge-
 A. C. 1650. „neralium Inquisitorum, libellum utrum-
 „que sive Gallico, sive alio idiomate
 „excusum, prohibendum censuit, prout
 „præsenti Decreto omnino prohibet.
 „Primum siquidem, cui titulus, *Ca-*
 „*techismus Gratiæ*, quia in eo conti-
 „nentur quam plures sententiæ, alias
 „per felicitis memoriæ Pium V. Grego-
 „rium XIII. & Urbanum VIII. damna-
 „tæ, ambos vero, quia ex professo
 „tractant materiam de Auxiliis, quam
 „non licuit imprimere, nisi prius ob-
 „tenta, a Sede Apostolica, licentia
 „juxta Decreta piæ memoriæ Pauli V.
 „& Urbani VIII. & propterea eorum
 „authores pœnis in prædictis Consti-
 „tutionibus & Decretis Apostolicis con-
 „tentis subjacent, denique quia infor-
 „ma & sub nomine Catechismi verna-
 „cula Gallorum lingua vulgati sunt,
 „cum tamen materia in eis digesta su-
 „peret captum vulgi; cui lac potum
 „dare oportet, non escam istam, quam
 „glutire non potest. Mandat præterea
 „Sanctitas sua, ut nemo cujuscunque
 „gradus & conditionis existat, etiam
 „speciali & specialissima nota dignus,
 „libellos prædictos aut aliquem ex il-
 „lis apud se retineat, aut legat, neve
 „imprimere, aut curare imprimi au-
 „deat, sub censuris & pœnis contra
 „hujus-

„hujusmodi delinquentes statutis, sed Sæc. XVII.
 „statim a præsentis Decreti notitia il- A. C. 1650.
 „lorum locorum Ordinariis vel Inquisi-
 „toribus consignet. „

Observandum tamen, quod Pari-
 siensis Senatus Decretum hoc, quo
Catechismus gratiæ damnabatur, in Gal-
 liis recipi vetuerit, quamvis idem Se-
 natus hunc librum non modo a Roma-
 nis Censoribus, sed etiam Parisiensibus
 Theologis rejectum suppressi jussisset.

§. LXXXIII.

*Franciæ Præsulum epistola ad Papam
 circa quinque propositiones.*

Interim acrius in Galliis fervebat con-
 troversia circa quinque propositiones, Dupin Hist.
 de l'Eglis.
 tom. 4.
 in quibus veluti in Synopsi omnia,
 quæ in Jansenii libro fidei adversa re-
 perirentur, contineri existimabat Cor-
 netus: Non deerant Jansenii Vindices,
 qui has propositiones a Corneto ad ar-
 bitrium suum efformatas, verbisque
 ambiguis, atque ad quemcunque sen-
 sum flexibilibus studiose conceptas di-
 cerent: Quoniam vero Facultas Theo-
 logica Parisiensis hanc controversiam
 totius Cleri Gallicani judicio relinquen-
 dam, anno priori censuisset, hinc præ-
 cipui ex Sorbonæ Doctoribus cum qui-
 busdam Præsulibus, qui tum comitia

Sæc. XVII. Parisiis acturi advenerant, desuper con-
A. C. 1650. ferebant, quorum tamen unanimis erat
 sententia, ad dirimendam hanc litem
 nihil magis expedire, quam summi
 Pontificis judicium hac in re expetere,
 præcipue, cum ad eundem jamjam
 transmissa fuisset censura nuper a Do-
 ctoribus pronuntiata, eaque Pontificis
 jussu a deputatis Examinatoribus di-
 scussa & approbata fuerit, quæ etiam ab
 ipsa quoque Inquisitionis Congregatio-
 ne absdubio confirmata fuisset, nisi
 Vincentius Maculanus Cardinalis hujus
 causæ conclusionem præpedivisset: Pla-
 cuithoc consilium ferme omnibus: mox
 igitur Haberto Vabrensi Episcopo epi-
 stolam componendi, eamque unacum
 præfata censura ad summum Pontifi-
 cem dirigendi cura demandatur. Hanc
 octoginta quinque Franciæ Præsules,
 quibus postea adhuc tres alii accessere,
 approbarunt, suisque chirographis mu-
 nierunt: illam vero P. Jacobus Dinetus
 ad Præsules tam Parisiis quam alibi de-
 gentes detulit: erat autem illius tenor
 sequens :

Beatissime Pater!

*Majores causas ad Sedem Apostolicam
 referre solennis Ecclesiæ mos est, quem si-
 des Petri nunquam deficiens perpetuo reti-
 neri*

neri pro jure suo postulat. *Æquissime huic legi obsequentes, de gravissimo circa religionem negotio Sanctitati tuæ scribendum esse censuimus. Decennium est, ex quo vehementissimis turbis Gallia magno nostro mœrore commovetur, ob librum posthumum, & doctrinam Reverendi Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi. Tales quidem motus sedari oportebat tum Concilii Tridentini auctoritate, tum Bullæ illius, qua Urbanus VIII. felicitis memorie adversus Jansenii dogmata pronuntiavit, & Decreta Pii V. ac Gregorii XIII. in Bajum edita confirmavit. Atque hujus quidem Bullæ veritatem, ac robur novo Diplomate vindicasti; sed quia nulli singillatim Propositioni certa censure nota inusta fuit, locus etiamnum aliquis quorundam cavillis, & effugio relictus est. Intercludendum autem penitus speramus; si, ut precamur S. T. quid hac in re sentiendum sit, clare distincteque definiat. Obtestamur ergo, ut has præsertim Propositiones, de quibus disceptatio periculosior ac contentio ardentior est, S. T. expendat, & perspicuam, ac certam de unaquaque sententiam ferat.*

Postea retulerunt quinque illas propositiones, quas jam antea adduximus, demum vero Episcopi hanc suam epistolam his verbis absolverunt: *Experta est nuper Beatitudo tua, quantum Apostolicæ Sedis in gemino Ecclesiæ capiti-*

Uu 4 tis

Sæc. XVII.
A. C. 1650.

Sæc. XVII. *tis errore profligando valuerit auctoritas:*
A. C. 1650. *continuo sedata est tempestas, atque ad Christi*
vocem, & imperium venti & mare obedie-
runt. Quamobrem flagitamus, Beatissime
Pater, ut clara firmaque de Propositionum
istarum sensu prolata sententia, cui Reve-
rendus ipse Jansenius morti proximus opus
suum subjecit, caliginem omnem discutias,
animos fluctuantes componas, dissidia pro-
hibeas, Ecclesie tranquillitatem splendorem-
que restituas. Dum hæc spes mentibus no-
stris affulget, Sanctitati tuæ multos & pro-
speros annos, sæculoque beatissimam æter-
nitatem Rex sæculorum immortalis adjiciat,
optamus ac volumus. Fertur vero, quod
Episcoporum nonnulli postea declara-
rint, quod res contentæ ignari hanc
epistolam signarint, alii vero ceteris
complacendi studio sua chirographa ap-
posuerint: id tamen certum est, quod
anno sequenti die vigesima secunda
Februarii Embrodunensis Archiepisco-
pus unacum aliis quinque Episcopis Se-
dis Apostolicæ Nuntio declararint, hanc
Epistolam nomine totius Cleri Galli-
cani non esse scriptam: nihilominus per-
lectis hisce literis ac ponderata rei gra-
vitare summus Pontifex quosdam Car-
dinales ac Theologos deputare statuit,
qui hæc propositiones ad rectæ fidei
normam examinarent: interim vero in
Hispania Dominicani & FF. Eremitæ
S. Au-

S. Augustini adversus Jesuitarum molimina veram Divi Augustini doctrinam strenue propugnabant. Sæc. XVII.
A. C. 1650.

§. LXXXIV.

Turbata Anglorum res.

Postquam Belliduces nomine exercitus tantam sibi in Regno auctoritatem vindicaverant, ut non modo Regi suo legitimo ferale in pegmate vitam tollere, sed ejectionis e Parlamento Presbyterianis, & subrogatis Independentibus supremam sibi solis potestatem, imperiumque attribuerent, Scoti a tam iniquis usurpatoribus pari violentia oppressi haud immerito verebantur: ea propter, quamvis nupera clade attriti, Carolum II. Regem suum absque manifesto periculo armis tueri haud possent, saltem quod novi Parlamenti ausus detestarentur, Anglis & universæ Europæ publico scripto testatum reddere statuerunt, ac paulopost Roberto Duglassio Hagam misso Regem, ut oblatum diadema acceptaret, rogarunt: Carolus vero condiciones nimium duras sibi præscribi veritus, Edinum venire recusabat, in Hiberniam contendere, firmum fixumque habens: ubi vero Ormundi copias a Dublinensi obsidione cum ingenti clade fuisse repul-

*Rapin
Thoir. l. 22.
Clarend.
Tomo V.
pag. 506.*

Sæc. XVII. fas, & Cronwellum hujus Regni Gu-
A. C. 1650. bernatorem rapido felicitatis cursu plu-
 rimas urbes expugnasse inaudierat, ad
 Cæsaream Insulam profugit; quo com-
 perto Scotiæ Proceres ablegato Geor-
 gio Windramo rursus eidem insinua-
 bant, quod cum eo circa conditiones,
 sub quibus regia potestate potiri posset,
 agere desiderarent, proin quamdam Bel-
 gii urbem, quo Deputati convenirent,
 nominaret. Carolus igitur Bredam civi-
 tatem selegit, quo se die vigesima quin-
 ta Martii venturum spondit: jam
 antea autem Montrosio Marchioni ne-
 gotium dedit, ut collectis in Germa-
 nia copiis exscensionem in Scotiæ Re-
 gnum facere tentaret. Interim Regi
 proponebantur Scotorum conditiones,
 quarum prima erat, cunctos, qui cum
 Hamiltono Comite conspirassent, ac
 nuper a Prædicantibus anathemate
 percussi fuissent, Rex a suo quoque
 consortio excluderet. II. Nationalem
 conventionem, & solemne fœdus inter
 utrumque Regnum jurato approbaret.
 III. Parlamenti acta, quibus præfatum
 fœdus, Ecclesiasticum Presbyteriano-
 rum regimen, Catechismus &c. præ-
 scribuntur, rata haberet, eaque tam
 ipse, quam sui observarent. IV. Con-
 sentiret, ut deinceps omnes civiles
 causæ a Parlamento, & Ecclesiasticæ
 a Sy-

a Synodis generalibus deciderentur: Sæc. XVII.
Verum Carolus Rex indignum cense- A. C. 1650.
bat, quod ipse Religionem Anglica-
nam, quam tamen ejus Pater proprio
sanguine tuebatur, ejurare, & fide-
litas conventionem, qua tamen dun-
taxat subditi erga Regem obstringeren-
tur, jurato firmare compelleretur: Pe-
tiit ergo Rex a Scotiæ Deputatis, ut sal-
tem sibi concederent, quatenus Divi-
num cultum juxta ritum Anglicanum
se præfente, tres Sacellani libere exer-
cere possent. Attamen incassum om-
nia; jam enim Scoti æque ac Angli Re-
gum suorum colla superbo pede calcare
assueti erant: interim Montrosius Co-
mes cum recenti milite in Scotiam pe-
netrans, Cathnessiam arcem vi occu-
pabat, promulgato edicto, vi cujus
declaratum, se duntaxat fideles Regis
subditos protegendi, & Bredanam ne-
gotiationem promovendi studio ex Re-
gis mandato arma sumpsisse. Verum
hæc agendi ratio tantopere Scotos of-
fendit, ut hi conscriptis sex armato-
rum millibus exiguum hunc exercitum
profligarent, captumque Montrosium
suspendio plecterent, aliosque quadra-
ginta Nobiles ejusdem Amicos capite
damnarent. Nihilominus Rex signatis
suo chirographo conditionibus Haga in
Scotiam contendit, non tamen e navi
exscen-

Sæc. XVII.
A. C. 1650 exscendere permissus, nisi prius conventioni subscripsisset. Tum vero Scoti Proceres externa submissionis obsequia Regi suo profusius impendebant, Hamiltonum vero & Lauderdaleum Duces, ceterosque Nobiles Anglos, qui Regem comitabantur, una omnes relicto solo Buchsio Duce Aula exulare jusserunt: nulli autem Regi magis graves erant, quam Puritani Prædicantes, qui Presbyterianorum sectam commendando, suadendo, & obtrudendo identidem Regis aures & patientiam, intempestivi admodum Didascalii fatigaverunt, atque Hierarchiam, ritumque Anglicanum proterve Diabolica dogmata appellitarunt, tandem vero ut Rex sese ab importunis hisce inflatoribus liberaret, eorum declamationibus precibusque, invitus licet, se interfuturum promisit.

§. LXXXV.

Scoti ab Anglis cæsi.

Salmon hist. d' Angl. t. I. Postquam vero Cronwellus Carolum a Scotis in Regem fuisse proclamatum eumque in Scotiam venisse compererat, veritus, ne ipse tentata in Angliam irruptione Patris sui necem ulcisceretur, Parlamentum sibi omnino addictum nullo negotio eo inclinabat,
ut

ut in Scotiam bellum inferre decerne- Sæc. XVII.
 ret, & Fairfaxio exercitus Imperium A. C. 1650.
 abdicante, Cronwellum Anglicis co-
 piis præficeret: Hic ergo contractis vi-
 ginti armatorum millibus Mense Au-
 gusto apud Musselburgum consedit haud
 procul a Scotorum exercitu, qui inter
 Edinum & Leicham castra metabatur:
 Ardebat Cronwellus pugnandi avidi-
 tate, hostium tamen castris arte &
 natura munitis territus, post velitare
 certamen, & sæpius incassum tentatam
 castrorum oppugnationem peditatum
 navibus imponere, & cum Equitatu in
 Angliam reverti statuit: Eo fine Dum-
 barum, ubi Anglica classis in anchoris
 hærebat, fugienti similis contendit.
 Hunc strenue insequitur Lesleyus Sco-
 tici exercitus Dux, duntaxat hostis
 consilia exploraturus. Instant vero,
 obsecrant illumque importune urgent
 Prædicantes, ut hostem aggredere-
 tur, victoriam omnino certam velut ex tri-
 pode vaticinantes. Ergo Lesleyus horum
 promissis deceptus, relictis castris Dum-
 barum versus movet, quo comperto
 Cronwellus haud procul Hadingronia
 aciem explicari jubet: Jam in conspectu
 utraque erat acies, cum Scoti moræ
 impatientes, summo diluculo, laxatis
 equorum habenis in Anglos effundun-
 tur, brevi tamen remisso pugnandi ar-
 dore

Sæc. XVII. dore in fugam aguntur: pedites vero
A. C. 1650. adeo obfirmato vincendi animo pugna-
 bant, ut ne victi quidem, & trucidatis eorum potissimis terga verterent: ubi vero ceteræ legiones se ab Equitatu derelictas cernebant, relictis omnibus impedimentis, omnique bellico apparatu Sterlinum profugerunt: Cecidere Scotorum tria ferme millia, captaque septem millia peditum. Insigni hac victoria potitus Cronwellus, omnes mox copias Sterlino admovit, occupatisque Leitha & Edino Scotiæ Metropoli vexilla Scotis erepta in Regio Westmonasteriensi Palatio affigi, & in tantæ victoriæ memoriam numismata inter generosos milites distribuenda cudi iussit: Interim Elisabetha trucidati Caroli Regis Filia Carisbrockienfis carceris squaloribus absumpta die decima octava Septembris captiva decessit, quarta Octobris die Neoporti sepulta, die autem sexta Novembris Scoti Prædicantes per universum Regnum diem festum pro expiatione peccatorum, *quæ Rex totaque ejus Familia commisisset*, indixere. Forte Christi præcepto, & Evangelicæ legi magis consonum fuisset, si præfati Præcones de propria sua rebellionem, Parricidio, aliisque atrocissimis sceleribus seriam egissent pœnitentiam, veraque emendatione

datione populi offensionem reparaf- Sæc. XVII.
sent. A. C. 1650.

§. LXXXVI.

*Turbæ intestinæ in Galliis con-
tinuatæ.*

Pax Regnam inter & Parlamentum sancita, sicut maris malacia turbulentiore præfagit tempestatem, ita & in Galliis diuturnioris acerbiorisque mali augurium esse videbatur; cum enim Fundibularii imo ipsa Regina malevolorum susurris delusa Condæum Principem optime meritum, ejusque Fratrem Contium Principem & Longevillanum Ducem captivos ad Vincennensem custodiam abduci jussisset, eadem die Parisiensis populus per universam urbem festivos accendebat ignes, applaudente Bellefortio Duce, & potissimum Radefio Parisiensis Archiepiscopi Coadjutore, quide Condæo Principe ultionem læsi honoris sumpfisse sibi gratulabatur: Interea tamen Longevillani Ducis Conjux Normanos, incassum licet ad vindictam stimulabat, nec magis prospero successu Burgundi, Andegavenses & Pictavienses Principum libertatem urgebant. Potentius Aquitani a Bullionio Duce animati, necnon Condææ Matris & Anguinii
ejus

*La Hode
Hist. de
Louis XIV.
lib. 10.
Mottevill.
t. 3. p. 366.*

Sæc. XVII. A. C. 1650. ejus Filii lacrimis commoti, Condæi
 Conjugem velut in triumphum ad Burdegalem urbem conducebant, ac Hispano ære tria peditum millia, & octingentos Equites conscribebant, captivorum libertatem armis extorsuri. Ad componendas hæc turbas ipsemet Rex cum copioso milite advolat, & Burdegalensibus primo pacem offert, resistens vero extremam vim minitatur: His vero cunctas condiciones respuentibus Rex Burdegalam cingere statuit: Accersitur ad hanc obsidionem Melleræus Marecallus, cui in expugnandis urbibus ætas illa parem non habuit: sive autem hic Bellidux cunctantius rem ageret, & fors cum obfessis conspiraret, sive cives, militesque præsidarii ultra spem & vires urbem, ac Condæam rem generosius defenderent, obsidio tam lento tamque improspere procedebat successu, ut unius suburbii expugnatio octingentorum sanguine constaret, & decimo tertio oppugnationis die haud amplius, quam primo actum videretur. Evanescente igitur capiendæ urbis spe, & Parisiensi insuper Parlamento Burdegalensibus suffragante, Regina tam honestas pacis condiciones obtulit, ut etiam jurati hostes desiperent, ni eas acceptarent; præcipue enim Burdegalensibus

lensibus concessa est præteritorum ob-
 livio, Condæ autem, ejusque filio Sæc. XVII.
A. C. 1650.
 sese Muronium recipiendi potestas: fa-
 ctaque Principibus captivis gratiæ li-
 bertatisque spes. Ad tantam vero in-
 dulgentiam Regina flectebatur victoriis
 Hispanorum; hi enim intestinis Galliæ
 tumultibus freti, in Picardiæ finibus
 Capellam, Musomum, Castelletum, Po-
 pulonium, & Portum - Longum in
 Illua Insula, quæ urbes olim Gallis multo
 sanguine steterant, exiguo temporis
 spatio expugnarunt: His malis accessit
 quoque defectio Turrenii Marescalli,
 qui, postquam incassum Principes libe-
 ros dimitti efflagitaverat, eorum liber-
 tatem armatis precibus exorans, ad
 Leopoldi castra cum suis copiis transiit,
 ac Rethelium urbem a Regiis obsessam
 liberare statuit, infausto licet successu;
 victus enim a Mazarino, ejusque Du-
 ctoribus, cæsis suorum bis millibus au-
 fugere coactus est. Nihilominus Hi-
 spanis in Campaniam irrumptentibus,
 ipse tria Equitum millia Vicennas emi-
 sit, Principes a sua custodia erepturus:
 Re autem mature detecta capti ex ca-
 stro Vicennarum, Marcusium primo,
 deinde in arcem Portus gratiæ trans-
 lati sunt, frustra obsistentibus Turre-
 nio, & Nemorsio Duce: inde vero
 Condæi Mater tam intimo doloris sensu

Hist. Eccles. Tom. LXI. X x affi-

Sæc. XVII. afficiebatur, ut die secunda Decembris
A. C. 1650 anno ætatis quinquagesimo septimo
 decederet.

§. LXXXVII.

Anni Sacri festivitas Romæ celebrata.

Postquam Innocentius X. Pontifex Maximus jam anno priori missis in omnes Christiani Orbis partes Literis Apostolicis Catholicos ad celebrandam anni Sacri solemnitatem Romam invitaverat, hoc anno tam ingens Principum, Nobilium, omnisque conditionis hominum concursus erat, ut ad victum necessaria, etsi ingenti copia undique adveherentur, vix non deficerent, simulque pro alendis pauperibus Romam peregrinantibus, exhausto Nosocomiorum ærario æs alienum contrahere, necesse esset: unde patet, quam insulsa, mendaxque sit hæreticorum calumnia, qua Pontifices duntaxat ad locupletandam urbem, corradendasque divitias Jubilæa Romana excogitasse comminiscuntur. Quoniam vero adhucdum inter Hispaniæ & Franciæ Reges bellum magno utrinque furore agitabatur, hinc Pontifex, atque Italiæ Principes sedulo prospexerant, ut tutum, commodumque iter peregrinanti-

nantibus præstarent: Enituit quoque Sæc. XVII.
 erga pauperes peregrinos eximia Car- A. C. 1650.
 dinalium, ceterorumque Principum
 liberalitas.

§. LXXXVIII.

Principum, atque Illustrium obitus.

Claudit hoc anno extremum diem Fer- Jæger. hist.
 dinandus Bavarix Dux ac Colo- Eccl. l. 10.
 niensis Archiepiscopus, & Sacri Ro- cap. 1.
 mani Imperii Elector. Hic anno Christi Bougeant
 millesimo quingentesimo septuagesimo Hist. Beli-
 septimo ex Guilielmo Bavarix Duce tric. tom. 4.
 & Renata Lotharingia natus, post Er- pag. 19.
 nelti Patru obitum anno hujus sæculi
 duodecimo Colonensem Archiepisco-
 patum, & postea Leodiensem, Mona-
 steriensem, & Hildesheimensem, &
 Paderbornensem Episcopatus obtinuit,
 unde per jocum Quinque - Ecclesiensis
 Episcopus nominabatur, omnes tamen
 hæc Ecclesias per annos fere octo &
 triginta verus Pastor paterna prorsus
 sollicitudine rexit, ac Clerum habitis
 Synodis Diæcesanis, ac saluberrimis
 præceptis, necnon populum verbo &
 opere ad meliorem frugem reduxit.
 Successorem habuit Maximilianum ex
 fratre Alberto Nepotem, Coadjutorem
 suum: Monasteriensem vero Christo-
 phorus Baro de Gehlen, & Paderbor-

Sæc. XVII. nensem Theodorus de Reck obtinuit.
A. C. 1650. Eodem anno, quo Guilielmus II. Princeps Orangius ac foederati Belgii Gubernator, cum se populari Regimini subiectum esse doleret, instigante Maria Angli Regis Filia ac Coniuge sua, supremum imperium sibi asserere affectabat, & propterea Amstellodamenses, qui eidem potentius resisterant, armis subigere parabat, die sexta Novembri, propinato, ut creditum, veneno, Hagæ Comitum vitam, ampliorisque Regiminis spem amisit, relicta Vidua prægnante, quæ octiduo post enixa est Filium Guilielmum III. quem ejusque posteros Cronwellus tertio post anno a Gubernatoris munere in perpetuum excludi voluit. Decessit etiam Parisiis Dux Engolismensis Caroli IX. Galliarum Regis Filius annos natus octoginta octo: ibidem quoque Claudius Memmius Comes Avausius mortalitatem exiit, qui Regis Gallici nomine ad pacem Monasteriensem ablegatus, a Servientio ejusdem Legationis socio tot criminationibus obrutus fuit, ut suo munere privatus Osna-bruga ad suas ditiones secedere jubere-tur, ab Aulæ accessu prohibitus, eo-quod Cardinalitiæ dignitatis spe fasci-natus, ut defensæ Religionis gloriam aucuparetur, neglecto rei Gallicæ stu-dio

dio Romanæ Curiaë utilitatem procu- Sæc. XVII.
 rasset, Suecosque tanquam extirpan- A. C. 1650.
 dæ fidei Catholicæ studiosos de-
 pinxisset.

§. LXXXIX.

*Gaspar Mattheius Cardinalis
 mortuus.*

Hoc item anno Gaspar ex nobilissima Ughell. Ital.
 Mattheiorum stirpe progenitus, Sacr.
 die nona Aprilis Romæ obiit. Erat
 is Philosophicis ac Theologicis disci-
 plinis egregie imbutus, qui demum Ju-
 risprudentiæ laurea decoratus, a Pau-
 lo V. ad varia, eaque onerosa Roma-
 næ Curiaë officia adhibebatur, quibus
 tamen summa integritatis laude defun-
 ctus, primo Urbinatis Vice - Legatus,
 & in Æmilia Commissarius Generalis,
 postea Athenarum Archiepiscopus, &
 denique in Germania Sedis Apostolicæ
 Nuntius nominabatur; inde vero rever-
 sus ab Urbano VIII. Cardinalium Col-
 legio cooptatus, in variis Congrega-
 tionibus suæ doctrinæ ac solertiæ præ-
 clara edidit specimina: tandem vero
 laboribus fractus, gravibusque ac diu-
 turnis morbis consumptus, anno æta-
 tis sexagesimo tertio rebus humanis
 valedixit.

Sæc. XVII.
A. C. 1650.

§. XC.

Marii Theodoli Cardinalis obitus.

*Ciacon. in
vita Ur-
ban. VIII.
Guald.
Prior. in hist.
herd.*

Hunc eadem mortis necessitate paulo post sequebatur Marius Theodolus Nobilis Romanus, qui confecto feliciter studiorum curriculo Doctoris honores emeritus, Romæ Abbreviator Apostolicus, Cameræ Clericus, & Auditor renunciabatur: demum annonæ Præfecturam adeptus, cuncta, quibus onerabatur, munia tam singulari integritatis, justitiæ, & dexteritatis encomio obibat, ut a summo Pontifice in Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, & a Franciæ Rege in Gallici Regni Protectorem seligeretur; demum Immolessi Episcopatu honoratus, hanc Ecclesiam post unius anni spatium mortis invidia dimittere cogebatur; anno enim quadragesimo nondum expleto die vigesima septima Junii decessit, in tituli sui Ecclesia ad S. Alexium sepultus.

§. XCI.

Cæsaris Montii Cardinalis extrema.

*Maracc. in
Purp Mar.
Vitaleon. de
domo Lau-
ret.*

Ex Purpuratis hoc anno denatis tertius erat Cæsar Montius patria Mediolanensis, qui nequaquam Patronorum favore, sed proprii meriti suffragio

gio ad Protonotarii Apostolici, Rese-
 rendarii, & Prælati honores ascende-
 rat, ac paulopost sermonis sui affabili-
 tate, vultus serenitate, æquitatis stu-
 dio, laborisque assiduitate cunctis ac-
 ceptissimus, ad ampliora dignitatum
 munia trahebatur. Demum variis Con-
 gregationibus præfectus, ac S. Officii
 Assessor, necnon Hierosolymitanus Pa-
 triarcha, & Hispaniæ Legatus ac Car-
 dinalis ab Urbano VIII. Papa renun-
 tiatus, mortuo Friderico Borromæo
 ad Mediolanensem Archiepiscopatum
 suffectus est, quam Ecclesiam verus
 Pastor, pauperumque Pater nunquam
 deseruit, sed gregem suum rara vigi-
 lantia, pietatis exemplo, & uberrimo
 Sacræ doctrinæ pabulo refecit usque
 ad extremum vitæ suæ diem, qui erat
 decimus sextus Mensis Augusti, post-
 quam quinquaginta septem peregrina-
 tionis suæ annos numeraverat. Emi-
 nuit in eo pietas erga B. Virginem, cu-
 jus Sacras ædes non modo Matriti &
 Toleti, sed etiam Laureti ac in Monte
 Serrato sæpissime ac religiosissime in-
 viferat, simulque Ecclesiam Cæno-
 biumque Patrum Carmelitarum Discal-
 ceatorum sub titulo B. Virginis Montis
 Oliveti de Concessa in Mediolanensi di-
 tione suis sumptibus extruxit.

Sæc. XVII.
 A. C. 1650.

Sæc. XVII.
A. C. 1650.

§. XCII.

*Antonii de Aragonia Cardinalis
decessus.*

*Ciac. in vita
Innoc. X.*

Postremus inter Cardinales defunctos erat Antonius de Aragonia Hispanus, qui ad Philippi IV. Regis preces Cardinalis Diaconus nominatus, eidem Regi, necnon Sacræ Inquisitioni, & demum supremis Ordinum Senatibus a consiliis erat. Inclaruit magis singulari in Deum pietate, quam Regio, unde descenderat, sanguine, majusque Romanæ Purpuræ ornamentum attulit, quam ab ea recepit; quippe nonnisi per quinque Menses & viginti quatuor dies hac dignitate fruebatur, mortuus in Hispaniis die octava Octobris. Jam a die decima nona Septembris Innocentius X. Pontifex alium inter Cardinales cooptavit Camillum Astallium patria Romanum, qui ex Apostolicæ Cameræ Clerico Presbyter Cardinalis S. Petri in Monte aureo renuntiabatur.

§. XCIII.

*Synodi Diœcesanæ Gandavensis
decreta.*

Hoc

Hoc item anno Antonius Triestus Epi-
 scopus Gandavensis Diæcesanam
 celebrabat Synodum, in qua præter
 plura alia minus singularia sancitum,
 ut illi, qui ad emittendam fidei pro-
 fessionem adstricti sunt, eam non e-
 mittant per alios, sed per seipfos, nec
 etiam ullus ex Sacra materia cujus-
 cunque Sacramenti aliquid tradat ali-
 cui, vel tradi permittat sub obtentu
 medicinæ, vel maleficii tollendi, ne-
 que ipse Parochus ad alium usum ea
 applicet, nisi ad quem ab Ecclesia de-
 stinata est. Monuit quoque Synodus,
 ut quamvis sponsalia, absente Parocho,
 valeant, semper tamen coram proprio
 saltem alterius contrahentium Parocho
 & duobus testibus contrahantur, pro-
 hibuitque, ne quis Concionatorum vel
 Confessariorum aliter docere præsumat,
 eorum tamen nullus ejusmodi sponsa-
 libus assistat, quæ in tabernis, aut aliis
 locis minus honestis contrahuntur.
 Præcepit insuper Synodus, ut claves
 Tabernaculi SS. Sacramenti in mona-
 steriis a Superiore custodiantur, nec
 ulli unquam Laico committantur, nec
 in summo Altari, vel Sacristia, vel
 apud alium in S. Ordine non constitu-
 tum relinquuntur, & Sacerdos Missam
 celebraturus curet, ut vino puro de
 vite sibi noto, non vero Hispanico

Sæc. XVII.

A. C. 1650.

*Hartzh. acta**Concil. Ger-**man. tom. 9.**pag. 696.**Caranz.**summa Con-**cil. tom. 4.**pag. 460.*

Xx 5

vino

Sæc. XVII vino forte adulterato, vel alio simili
 A. C. 1650. liquore incerto, & incognito utatur.

§. XCIV.

*Innocentii X. summi Pontificis Con-
 stitutiones.*

Præter gravissima Ecclesiæ negotia
 singulari studio Innocentius X. Pa-
 pa disciplinam Ecclesiasticam promo-
 vere, irrepentesque corruptelas e me-
 dio tolere satagebat, hanc in rem edi-
 tis pluribus, iisque saluberrimis Con-
 stitutionibus; cum enim probe com-
 pertum haberet, quod in Episcoporum
 cæremoniale a Clemente VIII. Papa
 correctum progressu temporis plurimi
 errores & mendæ typographorum in-
 curia irreperint, hinc illud a quibus-
 dam Cardinalibus Virisque eruditis
 emendari præcepit, atque ab iis reco-
 gitum confirmavit, illiusque usum
 illibate servari iussit. Die autem vi-
 gesima nona Octobris Constitutionem
 edidit, vi cuius Ordinem sancti Basilii
 de Armenis suppressit, eoquod horum
 Religiosorum numerus vix quadraginta
 excederet, ac ipsimet animis adeo di-
 scordes essent, ut simul religiose con-
 vivere, seque invicem sufferre minime
 possent, ac propterea plurimæ rixæ,
 scandala, vulpera, veneni propinatio-
 nes,

nes, & cædium machinationes per-
actæ fuissent.

Sæc. XVII.
A. C. 1650.

§. XCV.

*Quædam Sacrarum Congregationum
decisiones.*

Pari vigilantia Sacræ Congregationes
Romanæ plura ad Cleri populique
utilitatem decreta condiderunt, & qui-
dem die septima Januarii Sacra Epi-
scoporum Congregatio statuit, ut Re-
gulares, qui ad sæcularium Confessio-
nes approbati Sacramentum Pœnitenti-
æ administrant Personis in propriis
earum domibus, nisi relinquunt sche-
dam vel notificent Parochis, ab au-
diendis confessionibus ipso facto sint su-
spensi: Ejusdem quoque Mensis die vi-
gesimo octavo, eadem Congregatio su-
stulit abusum sepeliendi defunctos pri-
vatim, sine lumine, Cruce, & Pa-
rocho, prohibuit quoque die decima
tertia Maij, ne Clericus in sepulcro Ma-
jorum sepeliatur, quando in Cathedrali
vel Matrice Ecclesia adest proprium
Clericorum sepulcrum a laicalibus se-
gregatum: Pariter ex voto ejusdem
Congregationis Innocentius X. Papa
decidit, quod Sedis Apostolicæ Lega-
tus non se ingerat in materiis spiritua-
libus, quas Synodus Tridentina Ordi-
nariis

*Decis. S.
Congregl
Episc. Rit.
Etc.*

Sæc. XVII. nariis remittit, uti est approbatio Confessariorum &c. Denique Vigiliensis Episcopus, ejusque Canonici supplicarunt declarari, ubi & quomodo incedere debeant Cantores in supplicatione Corporis Christi, aliisque solemnitatibus; ad quod dubium Sacra Rituum Congregatio die octava Octobris respondit servandum esse Cæremoniale Episcoporum, & tum Cantores superpelliceo indutos incedere debere.

§. XCVI.

Scriptorum quorundam Catholicorum opera & obitus.

Dupin Bibl. Nouv. des Aut. Eccl. tom. 17. Inter Scriptores Ecclesiasticos Religione Catholicos, qui hoc anno obiit, suis lucubrationibus celebres sese reddiderunt præprimis P. Guilielmus Gibieuf Sorbonæ Doctor, qui tractatum de libertate Dei & Creaturæ edidit, hanc tamen nequaquam in indifferentia constituit: obiit Maglovii die sexta Junii. II. Joannes Rivius Ord. FF. Eremitarum S. Augustini, Lovaniensis Doctor, qui vitam Divi Augustini ex ejusdem S. Doctoris operibus, aliisque cœvis Autoribus collectam scripsit, propterea summis laudibus celebratam, eoquod illa non modo hujus Sancti gesta, sed etiam extractam

actam Manichæorum, Donatistarum, Sæc. XVII.
 & Pelagianorum Historiam complectitur: A. C. 1650.
 Vulgaverat adhuc idem Author tractatum de Scriptoribus sui Ordinis, necnon Diarium obsidionis Lovaniensis & Zodiacum Mysticum. III. Franciscus Christophorus Comes de Khevenhiller descripsit tomis novem Annales Ferdinandeos, & Effigies. Decessit meritis plenus die decima tertia Junii anno ætatis suæ sexagesimo primo. IV. Scævola de Sainte Marthe prælo subjecit Historiam Genealogicam Franciæ, & Domus Bellovacensis: scripsit quoque Galliam Christianam, quam ejus Filii postea typis vulgaverunt. Mortuus est Parisiis die septima Septembris. V. Joannes Arnoldus Corvinus, qui ex Lugdunensi Prædicante Catholicus Amstellodami factus edidit defensionem sententiæ Arminii de Prædestinatione, libero arbitrio & gratia Dei, summarium jurisprudentiæ Romanæ, aliaque juridica opera. VI. Emanuel Faria, qui discursus morales & politicos, necnon Sinarum Imperium, epitomen Historiæ Lusitanæ aliaque opuscula publicæ luci dedit. VII. Renatus Cartesius, qui præter Mathematica edidit epistolas, & tractatum de passionibus animæ. VIII. Franciscus Florens elucubravit tractatum de origine,

&

Sæc. XVII. & auctoritate juris Canonici; de methodo collectionis Gratiani & Decretalium, necnon de recta juris Canonici discendi ratione. IX. Paulus Duram Barcinonensis Episcopus, scripsit de conditionibus & modis impossibilibus contractui & testamento adscriptis, necnon decisiones Rotæ Romanæ. X. Joannes Baptista de Marinis ex Ord. FF. Prædicatorum composuit tractatum de Conceptione B. V. varias epistolas, & Indicem librorum prohibitorum. XI; Antonius de Pazzi ex eodem Ordine scripsit tractatum de libertate Ecclesiastica, alium de vitiis & virtutibus, necnon de attributis Divinis præter plura alia. XII. Petrus Dogonellus Jesuita edidit tractatum de Indulgentiis, Monita Christiana & speculum Divinum. XIII. Andreas Boeye pariter e Societate, qui posteris reliquit vitas Sanctorum conjugatorum & devotum Patremfamilias. XIV. Balthasar Corderius itidem Socius scripsit catenam Græcorum Patrum, Expositionem Græcorum Patrum in Psalmos, Symbola eorundem in Mathæum, Jobum elucidatum, & S. Dorothei Institutiones Asceticas præter alia nonnulla. XV. Laurentius Biffius Clericus Regularis Theatinus, qui Principem Christianum, triumphum paupertatis

tatis S. Caroli, Divinum Agnum stan- Sæc. XVII.
 tem & occisum, orationes Academi- A. C. 1650.
 cas, funebres & Panegyricas prælo
 subjecit.

§. XCVII.

*Quidam Scriptores A catholici hoc an-
 no defuncti.*

Ex Protestantibus nonnulli hoc anno *Freher*
 calamum cum vita posuere, quo- *Theatr. Vir.*
 rum lucubrationes præcipuas recensere *erud. p. 1.*
 lubet, & quidem I. Joannes Rothmo- *sect 3.*
 lerus scripsit Oeconomiam Sapientiae, *Witt. mem.*
Theol.
 Sciagraphiam Papismi, Calvinismi &
 Photianismi, Explicationes variorum
 nominum, Considerationes de Provi-
 dentia Dei, & disputationes de neces-
 sitate bonorum operum. II. Joannes
 Cothmannus edidit Duellum Euchari-
 sticum, defensionem de matrimonio
 comprivignorum, destructionem fun-
 damenti Papatus contra Schillerum,
 & tractatum de prædestinatione. III.
 Michael Behm elucubravit tractatum
 de Sacramento Baptismi, de servo ar-
 bitrio, & de sensu vocis Anastysis. IV,
 Ludovicus Princeps Anhaltinus scri-
 psit de Senioribus, coronatum Davi-
 dem, meditationes de brevi & diu-
 urna vita &c. V. Joannes Prideaux
 edidit Apologiam pro Casaubono, le-
 ctiones

§. XCIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1651.*Ernesti Hassiæ Landgravii anxietas
circa sectæ suæ veritatem.*

Jam dudum Ernesto Hassiæ Landgra-
vio suspecta erat veritas sectæ Lu-
theranæ, quapropter sua dubia atque
anxietates non raro suis exponebat
Prædicantibus, a quibus tamen non-
nisi verba, & jejuna tulerat responsa:
Augebatur tamen adhuc magis in hoc
Principe indagandæ veritatis studium,
postquam anno hujus sæculi quadrage-
simo octavo a Lamboyo Cæsareo Bel-
lidue prope Geisseckam captus fuerat,
nacta enim cum Viris eruditis Religione
Catholicis conferendi occasione se a te-
neris per Præcones suos deceptum, ac
mendaciis, jactatisque in avitam Fidem
convitiis præventum fuisse, haud ob-
scure cognoverat; ne vero ad depo-
nendum errorem inconsulta levitate
permotus crederetur, seposito omni
partium studio non modo Catholicorum
libros, sed præcipuos etiam Lu-
theranæ sectæ Authores Polemicos
matura solertia pervolvit, ac insuper
conventum quorundam ex Theologo-
rum præcipuis Francofordiæ celebra-
ndum indixit: cum autem unacum Au-
la sua eo contendere jamjam pararet,

*Acta disput.
Rheinfels.
Relat. Act.
Rheinf.
Anti-Val-
lerian.*

Hist. Eccles. Tom. LXI. Yy plu-

Sæc. XVII. plures accepit literas, quibus Prædi-
A. C. 1651. cantes obtentis variis excusationibus
 publicam disputationem cum Catho-
 licis declinabant, uti ipfemet Land-
 gravius conqueritur in iterata sua ad
 Francofordianos Præcones data episto-
 la, quam, quia totam hujus negotii
 feriem, ac privati colloquii argumenta,
 modumque complectitur, huc integram
 adducere operæ pretium erit.

§. C.

*Ejusdem Landgravii epistola ad Præ-
 dicantes ad congressum Franco-
 fordiensem vocatos.*

Annus jam agitur, cum nostræ æta-
 tis vigesimo septimo nondum com-
 plecto, proculdubio non absque singu-
 lari Dei providentia, scrupulos quos-
 dam & dubia in Reformatæ Religionis
 dogmatibus concepimus. Inter quæ
 hæc præcipue digna consideratione oc-
 currebant; quod nimirum, quisque e
 Sacro textu de doctrina fidei censere
 possit, tametsi ea sub anathemate pro-
 ponatur a Concilio vere generali: hoc
 enim scrutinium nos quidem experie-
 bamur impossibile. Deinde, quod Sa-
 cra Scriptura in fidei essentialibus sit
 clara, quam tamen nobis etiam in illis
 obscuram esse sentiebamus. Et quod

Ec-

Ecclesia a. 1400. circiter annis ad Sæc. XVII.
 miserit plerasque hæreses, quam Ec- A. C. 1651.
 clesiam nos in sacris Litteris scimus
 appellari columnam & firmamentum
 veritatis. Itaque constituti in illa am-
 biguitate, non cessavimus per inte-
 grum annum, inter tot alia negotia,
 itinera, & undique nobis satis ingruen-
 tia impedimenta summo ardore in id
 incumbere, ut seposito omni partium
 studio, aptum aliquod, & congruum
 medium indagandæ veritatis invenire-
 mus. Igitur supplicibus precibus im-
 plorato Numinis auxilio, omne id tem-
 pus, quod noctu atque interdium etiam
 cum detrimento aliarum maxime ur-
 gentium occupationum nobis vindicare
 potuimus, unice in assiduam sublimis
 hujus materiæ disquisitionem impen-
 sum est. Quem in finem non tantum
 e Catholicorum partibus Perronium,
 Bellarminum, Torrensem, Speculum
 veritatis Brandeburgicum, Cottonum,
 Veronum, Forerum, Canisium, Coc-
 cium, Animadversiones Moguntino-
 rum in Crocium, Valerianum, Ked-
 dium, Walenburgicos, & aliorum scri-
 pta; sed & contrariæ partis affectas,
 Lutherum, Calvinum, Blondellum,
 Mornæum, Molinæum, Dailleum, Pro-
 selytum, Mestresatum, Drelincurtium,
 Crocium, Calixtum, Menzerum, Hun-
 dium,

Sæc. XVII. dium, Haberkornium & Marc. Anto-
 A. C. 1651. nium de Dominis, secundum tempora
 & nostri ingenii vires consulimus su-
 per articulis præcipue controversis. Ita
 ut illi parum benigne de nobis sentiant,
 qui affirmant, quod Catholicorum tan-
 tum, nullos autem secus sentientium
 libros evolvamur, & quod cum Pro-
 testantibus Theologis sermones nobis
 non sint, sed cum solis Catholicis. Quam-
 vis enim eo tempore, cum in aula Cæ-
 saris versaremur, assidue frequentave-
 rimus conciones de præcipuis fidei
 controversiis a Reverendo P. Alphonso
 Aymono Ordinis Eremitarum S. Au-
 gustini, habitas necnon casu incidere-
 mus in Rev. P. Valerianum Magnum
 Capucinum, quem unicum deinde ex
 Catholicis Vienna accivimus formaliter
 consulendum: quamvis etiam cum
 eruditis quibusdam Societatis Jesu Pa-
 tribus in transitu & itinere, cum Wa-
 lenburgicorum autem fratrum natu ma-
 jori semel tantum Colonæ collocuti
 fuerimus; nihil tamen hoc impedivit,
 quo minus frequens nobis commer-
 cium intercesserit cum aulæ nostræ
 Concionatore Adolpho Fabritio; sicut
 & prout tempora ferebant, cum Blon-
 dello, Hundio, Feurbornio atque aliis
 hac de materia egimus, etiam per li-
 teras, nulla unquam occasione spre-
 aut

aut intermissa, quæ quacunque tan-
dem ratione lucem nobis aliquam, aut
documentum aliquod præbere potuisset.

Sæc. XVII.
A. C. 1651.

Verum, tametsi tot Autorum actione & familiari colloquio haud parum profecerimus, intelleximus tamen nihil fore convenientius, quam si præcipuarum partium insignes Theologi in una civitate nobiscum congregati, niterentur supradictos illos scrupulos animo nostro eximere, secundum propria cujusque principia. Quam ob causam etiam ad honorandos & dilectos Cognatos nostros, Brunsvicenses & Lunenburgicos Duces, tum ad Hassiæ Landgravios, atque ad tres in illorum ditione & ministerio degentes præcipuos Theologos, peculiare literas die 29. August. stili vet. dedimus, haud dubii, utrinque nos voti compotes & sperati inde fructus participes fore; utpote qui aptiorem congressui isti locum non inveniebamus, quam Francofurtum: modus autem tractandi talis erat, ut nulli partium merito suspicionem, aut damnum aliquod movere potuisset. Acta enim hujus conventus typo publicanda, proditura erant in theatrum orbis, citra suspicionem falsificati protocolli: partes autem dissidentes congregatæ in eadem urbe poterant experiri, quid privata colloquia possent conferre huic

Yy 3

dissi-

Sæc. XVII. A. C. 1651. dissidio componendo, & tollendis iis scrupulis, quibus vehementer excruciamur: hæc enim hactenus inassueta ratio disputandi sola potis est excludere illa incommoda, quæ sæpius inter abreptos amore partium & contradicendi fervore colloquentes alias oriri solent. Ita ut ad istum quidem modum non temnendum inde emolumentum sperari, & nobis ante exordium Anni M. DC. LII. in tam arduo negotio non tantum lux aliqua allucescere, sed & aliis, pro honore Dei & confessione veritatis studiosis hominibus satisfieri potuisset. Quod equidem tam certo nobis promittebamus, ut etiam sæpius inter fortuitos sermones, dum quidam Theologos illos haud venturos esse ariolari, & per conjecturas asserere niterentur, contrariam sententiam non veriti fuerimus propugnare; præclare enim semper sensimus de eorum eruditione, Zelo salutis animarum, & decoris propriarum Ecclesiarum, necnon de eorundem benevolentia erga personam nostram, quam perniciosissime periclitari arbitrabantur.

Interea, cum a Senatu Francofurtensi responsum nobis venisset, quo urbem suam huic congressui patere significabatur, nosque jam in procinctu essemus, illuc cum aula nostra transmissi,

grandi,

grandi, tales tandem literas accepi- Sæc. XVII.
 mus, quæ nos spe præconcepta fere A. C. 1651.
 everterunt; quarum tenorem hic infe-
 rere visum fuit.

Dn. Georgius Hassiæ Landgravius li-
 teris suis primo Septembris exaratis,
 tertio ejusdem die nobis exhibitis, ita
 inquit: Quandoquidem statuerit hac
 de re deliberare, & cum aliis etiam
 communicare, ideo se propediem sen-
 tentiam suam deprompturum esse.

Domini Guilielmi Hassiæ Landgra-
 vii responsum nono Septembris datum,
 & decimo sexto ejusdem die Düffel-
 dorpii tum temporis nobis redditum,
 sequentia habet. Quemadmodum re-
 visum esset, cum Dn. Georgio & Her-
 manno Landgraviis Hassiæ, tum etiam
 cum Brunsvicensibus & Luneburgicis
 Ducibus in negotio tam arduo delibe-
 rare, atque illorum prudentissimum ju-
 dicium exquirere: ita nobis ingratum
 non fore, si certam & determinatam
 suam declarationem eousque suspen-
 dere cogeretur.

Porro Dn. Landgravius Georgius
 iterato a nobis requisitus, die sexto
 Octobris rescribit, quod vigesimo post
 ejusdem hic traditum, ita se habet.
 Sibi quidem causas satis prægnantes
 non esse, quo minus ablegatione sui
 Superintendentis D. Haberkornii nobis

Sæc. XVII. gratificari velit. Cum tamen res sit
A. C. 1651. magni momenti, in qua absque præ-
 via communicatione cum suæ religio-
 nis consortibus, imprimis vero cum
 Dn. Electore Saxonix, ægre quicquam
 decernere velit; ideo nobis disciplici-
 turum non esse, quod ultimam suam
 declarationem tantisper differat, do-
 nec consilium id desideratum intra bre-
 ve fortassis temporis spatium, sibi ve-
 nire possit. Pollicebatur tamen ibidem,
 se Superintendenti suo ad privatam col-
 loquutionem veniendi semper potesta-
 tem facturum esse.

Ad eundem quoque modum Dn.
 Landgravius Guilielmus literis iterato,
 die septimo Octobr. datis, & decimo
 quarto ejusdem nobis exhibitis, dicit:
 se nec a Brunsvicensium Ducibus, nec
 a Landgravio Georgio ullum adhuc ea
 de re responsum accepisse; velle se ite-
 rum illos monere, & quæcunque inde
 acceperit, nulla interposita mora no-
 bis transmittere; in reliquis vero circa
 rem tanti ponderis se ita gerere prout
 boni publici necessitas id esset flagi-
 tatura.

A Brunsvicensium & Luneburgen-
 sium Ducibus nulla adhucdum plano
 nobis responsa venere. Trium autem
 requisitorum Theologorum responsa se-
 quentis sunt tenoris.

D. Cro-

D. Crocii septimo Septembr. die ^{Sæc. XVII.} scriptum & 16. ejusdem nobis reddi- ^{A. C. 1651.} tum ita habet. Etiam si futura disceptatio, ad istum, qui propositus sit, modum, multa ob prægnantissimas causas & circumstantiarum interventum, non careat difficultate, ipse quoque tanquam unicus Cassellis Theologiæ Professor præter publicas lectiones, duobus insuper studiosorum collegiis, atque aliis magnopere necessariis laboribus distractus, huic operæ satis commode vacare non possit. Nolle se tamen, si & alii pariter invitati compareant, nobis immorigerum esse, sed ad præstitutum tempus atque locum se sistere, modo id fiat Principis sui, Domini Landgravii Guilielmi jussu, atque voluntate, & Deus in bona corporis valetudine ipsum tueri velit.

D. Haberkornius in literis 17. Septemb. scriptis, primo autem Octobris die nobis traditis, ita loquitur. Ex partibus illorum, qui puræ Lutheranorum religioni addicti sint, neminem quidem fore, qui non ausurus sit, in bene ordinato, atque frugifero colloquio comparere, atque illic divinum honorem & doctrinam e Sacra Scriptura contra tenebras Papatus asserere. Sibi autem negotium hoc arduum in Principis sui Domini Landgravii Georgii arbitrio relinquen-

Sæc. XVII linguendum esse, cujus nutum atque
A. C. 1651 voluntatem, ad quævis obsequia pa-
 ratissimus excepturus sit.

D. Calixtus responso suo in festo S. Michaelis dato atque nobis 20. Octobr. die tradito hæc significat. Se de instituto colloquio non solum a nobis, sed & suis a Principibus per literas fuisse certio-rem factum, his se respondisse secundum formulam, quam literis suis ad nos inferuisset, scilicet se a nobis præterita æstate fuisse requisitum de instituendo colloquio cum P. Valeriano, cujus tractatum de regula credendi accepisset a nobis, se quoque non detrectasse disputationem, aut per suas rationes privatas recusasse locum, tametsi sit extra Ducatum Brunsvicensem. Cæterum negotio dilato ad hanc asperior-rem anni ætatem, haud congruam senio & imbecillæ valetudini suæ, & alias ob causas, hunc congressum ita abnuere, ut tamen sit promptus, si accesserit Principum suorum voluntas, proposito interea per tabellarios agendi modo. Nobis vero idem D. Calixtus scribit in hunc modum. Principibus suis hoc dubium suboriturum esse, an e- re sit, ut ipse cum aliis duobus diversa sentientibus sociari debeat, uno qui- dem Reformato, altero autem dog- ma Ubiquitatis professo. Dein sibi quo-

quoque innotuisse, quod scripto quodam ab Haberkornio hostis Dei appellatus fuerit, ideo malle se solum, quam tali in consortio huic rei vacare. Nec aliud magis aptum remedium perspicere, quam ut per commeantes hinc atque inde nuncios agatur, qui singulis septimanis argumenta, & cujusque partis responsa ferre atque referre possint; se tamen nihilominus semper præsto fore, ut se sistat, quodocunque id nobis placuerit. Præterea idem ille Princeps Georgius Hassiæ Landgravius non ita pridem peculiari scripto, 24. die Octob. dato nobis significavit: Quandoquidem haud libenter aliquid intermissurus sit, unde nobis in hoc religionis negotio qualiscunque satisfactio fieri possit: ideo se Superintendenti suo D. Haberkornio jam tum per literas mandasse, ut Reinfelsam ad nos veniat, quodocunque id nobis visum fuerit, tum ut nobiscum, tum etiam cum Patre Valeriano coram colloqui possit.

Itaque ex his omnibus non sine animi ægritudine perspeximus, tanto Zelo a nobis susceptum negotium pene irritum fore, in integros enim menses dilata responsa, eaque tandem dubia & nihil determinantia, hunc nobis metum injicere merito potuerunt. Sane
dispu-

Sæc. XVII.
A. C. 1651.

Sæc. XVII disputabunt plerique, imputentne has
A. C. 1651. remoras conscientiae de doctrina pro-
 pria parum firma. Equidem credimus
 quod nullam forte rationem satis vali-
 dam invenient, tam æquas & nemini
 plane damnosas condiciones repudian-
 di; maxime dum ex parte Catholico-
 rum Valerianus senio confectus, & ex
 tenore sui instituti nudipes, jejuniis-
 que actualibus maceratus una cum duo-
 bus Patribus ejusdem ordinis ultro ac-
 currat a nullo Catholicorum Præsulum
 præpeditus. Fortassis existimantur de-
 sperasse de nostra constantia in doctrina
 reformata, aut si nos jam pro Catho-
 lico habent, de reditu ad Ecclesiam
 reformatam, atque eo titulo abnuere
 congressum Theologicum: Sed obstat
 Pastor Evangelicus, qui dimissis nona-
 ginta novem ovibus perquirat unam il-
 lam, quæ jam tumperierat: Accedit &
 dignitas Ecclesiastica, quæ poscit fidei
 luculentiorum defensionem iis tempo-
 ribus ac circumstantiis, quibus contra-
 rio exemplo concutitur. Hæc & simi-
 lia passim objiciuntur; nos vero exi-
 stimamus, Principes cognita trepida-
 tione suorum Theologorum prudenter
 judicasse, rem hanc exigere discussionem
 universaliorem; Theologis vero, præter
 alia displicuisse, quod illos delegerimus,
 qui invicem dissideant, & illos exhor-
 ruisse

ruisse proprias rixas exorituras, dum Sæc. XVII.
 nobis in fide titubantibus opitulari co- A. C. 1651.
 narentur. Talia vero nos prævidere
 haud potuimus, simpliciter persuasi,
 atque etiam in literis nostris aperte pro-
 fessi, quod crederemus omnes illos
 tres Theologos, tanquam in uno the-
 mate contra autoritatem & infallibili-
 tatem Romani Pontificis & Concilio-
 rum concordēs, nequaquam ad ejus-
 modi diverticula inter se pugnandi se-
 cessuros, sed ut uno tramite ad scopum
 contenderent allaboraturos esse. Fate-
 mur tamen, nos ex tot Evangelicorum
 in Germania factionibus tres illos ce-
 leberrimos & nobis maxime notos at-
 que opportunos selegisse, ideo quod
 ex variis, quibus inter se pugnant scri-
 ptis, intelligeremus, non leviter Luthe-
 ranos inter se discrepare, ea maxime
 de causa, quod D. Calixtus, dum ad-
 mittit præcipuorum Conciliorum gene-
 ralium Symbola & anathematismos,
 videatur se suosque qualitercunque exi-
 mēre ab absurdis, quibus Valerianus
 irrefragabiliter onerat & pene irridet
 quosvis alios hujus ætatis Ecclesiæ
 censores ac reformatores: Hæc enim
 Calixti censura & correctio, cum no-
 bis videretur minus inverecunda, plus
 reliquis argumentis contra Catholicos
 nos detinuit cunctabundos inter Calix-
 tinos

Sæc. XVII. tinos & Pontificios. Neque erat cur
 A.C. 1651. tantopere vererentur contrarias inter
 se sententias, habituri nimirum a Va-
 leriano responsa separata.

Quandoquidem autem in illam rem, quod Principes aut etiam illorum Theologi congressum Francofurtensem sint approbaturi, nulla videtur spes superesse, cui nos diutius prudenter initi possimus; idcirco omnium recte sententium æquissimo iudicio permittimus, an non omnia, quæ in hac deliberandi ambiguitate postulari possunt, rite ita executi fuerimus, ut merito ab omni culpa temeræ festinationis & imprudentiæ immunes esse possimus. In Dei atque hominum conspectu protestantes, nos hæcenus nemini cujuscunque etiam conditionis sit, in religionis negotio devinctos esse, aut etiam Catholicæ Ecclesiæ Sacramenta usurpasse; quamvis enim fidei inter Catholicos unitas & antiquitas tam nobis placet, quam displicet doctrinarum inter protestantes pluralitas; tamen timuimus scrupulos, qui nobis supervenire potuissent a partium dissidentium subtilitate, quam penitus explorare volebamus illo Francofurtensi congressu Theologico.

Ex his igitur cuiusvis constare poterit, quam non e re nostra sit, diutius in hoc difficili maxime statu, ad aliorum

rum arbitrium detineri: præsertim cum Sæc. XVII.
 assiduis precibus, & diligenti veritatis A. C. 1651.
 indagacione hoc jam affecti fuerimus,
 ut tandem cognoverimus, in quo to-
 tius negotii cardo vertatur. Verum
 nolumus ullum extare argumentum ne-
 glecti studii in peruestiganda veritate,
 & humanitatis erga illum cætum, in
 quo sumus enutriti.

Quapropter si quis vel Theologo-
 rum, vel quicumque alius colloquendi
 gratia nos invisere velit, aut si etiam
 a Principibus suis ad istum finem mis-
 sus fuerit, eum nos non tantum liben-
 ter audiemus & cum illo colloquemur,
 Patremque Valerianum vel illo absente
 alium ex Catholicis virum Theologum
 adhibebimus, sed & omni hospitalita-
 tis & benevolentia demonstratione ex-
 cipere parati sumus. Illorum igitur
 arbitrio adhucdum integrum hoc re-
 linquimus; ita tamen ut omnia in hoc
 disceptationis negotio ad istum modum
 gerantur, quem in prioribus hac de
 causa exaratis literis jam tum designa-
 vimus, utpote experti, quam parum
 ex vivæ vocis contentionibus speran-
 dum sit. Quinimo modum a D. Ca-
 lixto propositum serio amplectimur, ut
 nempe inter absentes res in scriptis a-
 gatur; ita tamen ut per postas & ordi-
 narios cursores omnia transmittantur
 Fran-

Sæc. XVII. A. C. 1651 Francofurtum ad Joannem von der Birgden destinanda. In quod literarium commercium non aliter nisi his præterea conditionibus consentimus, ut scilicet quisque satisfacere conetur scrupulis a nobis propositis: id enim duntaxat agitur. Quisque etiam sive argumentetur, sive argumentanti respondeat, animi sui sensa Latine (simul & Germanice si libuerit) typis expressa nobis mittat, singulis vicibus viginti exemplaria propriæ manus subscriptione & sigillo roborata, reliqua autem venum prostent. Deinde si fieri potest una editio non excedat unum, aut ad summum alterum chartæ folium, atque eam ob rem, ne responsiones quoque nimis excrescant, numerus argumentorum pro una editione pensari debet ex modo responsionis. Tempus vero & moram sua edendi sibi quisque sumat pro lubitu, modo omnia fiant decenter & ex dignitate, tum breviter, solide atque clare, procul affectibus ac omni acerbitate.

Quæ requisita si omnes attendere velint, spes adhuc aliqua esset, non irritum plane fore negotium hoc, intentis in id tot hominum animis, adeo ut & propriæ ditionis nostræ Prædicatores super plerisque dubiis interrogati palam recusent disputare cum Valeria-

leriano, antequam susceptæ cum no- Sæc. XVII.
 minatis Theologis exitum videant: illa A. C. 1651.
 enim excusatione hæctenus usi sunt am-
 bo nostri Augustanæ Confessionis Su-
 perintendentes, S. Goari & Suabaci
 Joannes Rinckerus, & Antonius For-
 stius, tum ipse aulæ nostræ Conciona-
 tor, quos cum ad condictum in hac
 aula nostra diem vocassemus disputa-
 turos cum Valeriano, aliud responsum
 non tulimus, quam se absque præju-
 dicio suscipere non posse disceptatio-
 nem hanc devolutam jam ad doctiorum
 Theologorum judicium, quod & ipsi
 expectare deberent; ut vel hanc unam
 ob causam maxime optandum nobis
 sit, modum illum a D. Calixto propo-
 situm protinus in rem conferri. In
 quod cum haud dubie omnes pro suo
 in religionem Zelo propendeant, hisce
 hanc disceptandi formam exordimur;
 ea spe freti, quod tamen nonnullus ex
 requisitis Theologis se subducatur, futuri
 tamen sint non pauci, qui in tam uni-
 versali pruritu scripturiendi de fidei
 controversiis impendant aliquid otii in
 hanc disquisitionem a nobis tantopere
 exoptatam & requisitam.

Igitur nos deliberaturi de vera re-
 ligione capeffenda, cum primis suppo-
 nimus, virum prudentem scire debere,
 illum Christianorum cætum e multis,

Hist. Eccles. Tom. LXI. Zz cui

Sæc. XVII. cui ceu Ecclesiæ Christi velit se ad-
A. C. 1651. gere, quamve fidei doctrinam in ea
 profiteri teneatur; quapropter ante om-
 nem disceptationem amice postulamus
 a Theologis Catholicis, Augustanis, &
 Reformatis indicationem propriæ Ec-
 clesiæ ita lucidam, ut si velimus ali-
 cui earum dare nomen, ea ultro no-
 bis pateat.

Postulamus quoque nobis sufficien-
 ter exponi, illam doctrinam de fide,
 quæ in cujusque partium Ecclesia sic
 proponitur credenda, ut illi, qui eam
 contumaciter pernegant, anathemate
 separentur.

Signanter vero efflagitamus deci-
 sionem quæstionum, quæ inter Chri-
 stianos ab ætate Lutheri periculose
 controvertuntur, factam redactamque
 in libros Symbolicos, aut quomodo-
 libet aliter nuncupatos.

Quoniam vero examen ejuscemodi
 decisionum est opus laboriosissimum,
 quærimus: utrum post ætatem Aposto-
 lorum extiterit, aut existat homo aut
 cætus hominum, qui habeat infallibi-
 lem auctoritatem proponendi doctrinam
 fidei, definiendi exortas circa illam
 controversias, & segregandi a fidelium
 cætu illos, qui sunt aperte contuma-
 ces in illam doctrinam.

Sin

Sin autem quis iudicet, nec ex-Sæc. XVII.
 tare, neque extitisse ejuscemodi homi- A. C. 1651.
 nem aut hominum cætum, quæritur;
 quid id sit, unde Christiani sibi derivare
 queant ac debeant doctrinam fidei, e-
 jusque explicationem super sensu Sa-
 cræ Scripturæ, sicubi subjiciatur di-
 sputationi non tolerandæ?

Demum peramanter rogamus om-
 nes ac singulos, velint sententiam suam
 de propositis his quæstionibus exponere
 cathogorice, dilucide & citra ullam
 vel propriæ sententiæ probationem,
 vel alterius reprobationem, ita ut sin-
 gulorum responsa sint theses, quas quis-
 que in actu secundo hujus Theologicæ
 disputationis probet prout libuerit po-
 teritque. In tertio vero actu licebit
 cuilibet argumentari contra aliorum
 theses, earundemque probationes, iis
 tamen periodis, quas ut supra præscri-
 psimus, unum aut alterum folium ca-
 pere possit. Existimamus enim hanc
 disceptationem per minutiores partes
 faciendam fore non gravem Theologis,
 gratissimam vero reliquis omnibus ob
 materiæ disputatæ necessitatem, mo-
 dumque disputandi. Ideo post expli-
 catam satis instituti nostri rationem a-
 liud non superest, quam ut Theologi
 jam respondeant, ulterioribus ambagi-
 bus nihil attingentes, quam propositas

Zz 2

hic

Sæc. XVII. hic quæstiones. Quod ut fiat prompte
A. C. 1651. & secundum indicatum a nobis mo-
 dum, iterum rogamus, parati hanc in
 tam salutiferum finem impensam ope-
 ram, erga singulos vicissim demereri.
 Datum ex arce nostra Reinfelsæ die
 decima tertia Novemb. Anno Salvato-
 ris millesimo sexcentesimo quinquage-
 simo primo.

ERNESTUS,
 Hassiæ Landgravius.

§. CI.

*Acta disputationis Rheinfelsiæ in-
 ter Valerianum Magnum Capuccinum
 & Petrum Haberkornium
 Lutheranum habitæ.*

Desiderabat equidem Ernestus Land-
 gravius, ut tam Catholici, quam
 Lutherani Theologi scriptotenus suam
 sententiam circa controversa capita pro-
 merent, & sua responsa Francofordiam
 transmitterent: cum autem denuo va-
 riæ moverentur difficultates, tandem
 Georgius Hassiæ Landgravius datis
 literis pollicebatur, quod, cum Fran-
 cofordiensis Conventus in irritum ce-
 cidisset, ad privatum congressum Rhein-
 felsæ ineundum quosdam Prædicantes
 missurus esset. Ne igitur Ernestus
 Prin-

Princeps oblatum indagandæ veritatis Sæc. XVII.
 medium declinaret, data epistola Pe- A. C. 1651.
 trum Haberkornium Academiæ Gief-
 fensis Professore[m] evocabat, qui etiam
 die decima tertia Decembris unacum
 Balthasare Mintzero, Georgio Happe-
 lio, aliisque Prædicantibus ad Urbem
 sancti Goaris venit, ab Ernesto Prin-
 cipe in arce Rheinfelsiana benigne ex-
 ceptus: mox igitur idem Landgravius
 P. Valerianum, qui tum Coloniae age-
 bat, de Lutheranorum adventu cer-
 tiorem reddidit; quocirca hic cum PP.
 Capuccinis Bartholomæo Wernensi, &
 Benigno Elbingensi die decima sexta
 ejusdem Mensis Rheinfelsam contendit.
 Habuit interim Princeps varia collo-
 quia cum Haberkornio circa Calvinis-
 tarum cænam, Baptismum Infantum,
 Papæ Primatum &c. tandem vero ab-
 ruptis hisce colloquiis res scriptotenus
 agebatur, & quidem PP. Capuccini in
 actione prima ad quatuor postulata a
 Principe proposita, ita die vigesima
 quinta Novembris ex Moguntino suo
 Conventu responderunt.

Postulatur I. A Catholicis sicut & a
 Lutheranis & Calvinistis, ut indigite-
 tur propria Ecclesia adeo clare & lu-
 cide, ut si Princeps velit alicui nomen
 dare, ea ipsi ultro pateat: *Responderunt*
Catholici: „Homines communicantes in
 Zz 3 „fide

Sæc. XVII., fide cum Pontifice Romano, confli-
 A. C. 1651., tuunt illum cœtum, qui solus est vera
 „Ecclesia Christi. Huic si tua Celsitu-
 „do se velit adjungere, habet Eccle-
 „sias Moguntinensem, Coloniensem &
 „Trevirensis, sibi proximas, quæ com-
 „municant in fide cum Pontifice Ro-
 „mano.,,

Lutherani vero, ex arce Rheinfelsia-
na die decima quarta ejusdem Mensis
responderunt: „Ecclesiam, in qua Scri-
„pturæ Prophetiæ & Apostolicæ con-
„venienter docentur, & Sacramenta
„dispensantur, esse solum veram illam
„Ecclesiam, cui quilibet homo se asso-
„ciare potest ac debet: Illaque per
„Dei beneficium, quo hodie fruimur,
„est Ecclesia invariatae Augustanæ Con-
„fessionis, intra & extra Romanum Im-
„perium addicta. Utpote quæ luce do-
„ctrinæ Prophetiæ & Apostolicæ in
„S. Scriptura nobis per Dei voluntatem
„relictæ, sincere lucet. Neque ullo
„tenebrarum dogmaticarum illa jure
„accusari potest, neque hactenus con-
„vinci potuit, aut imposterum etiam
„poterit. Et quoniam S. Scriptura me-
„rito omnium hominum auctoritati præ-
„ferri debet, etiam Ecclesiam Augu-
„stanæ Confessionis ante omnes alias
„eligi debere, infallibiliter sequitur.,
 Contra hanc vero responsionem exce-
 perunt

perunt Catholici, quod Principis voto Sæc. XVII.
Lutherani melius satisfecissent, si præ- A. C. 1651.
termiſſis reliquis nominassent Ecclesiam
v. g. Darmstadiensem, vel aliam, quæ
ab Apostolorum ævo ante Lutherum
confessionem Augustanam *invariantam*
professa fuisset.

Postulatur II. Ut sufficienter expo-
natur illa doctrina de fide, quæ in cu-
jusque partium Ecclesia sic proponit
credenda, ut illi, qui contumaciter
eam pernegant, anathemate sepa-
rentur.

Responderunt Catholici. „In Ecclesia
„Catholica unusquisque tenetur cre-
„dere explicite Symbolum apostolicum,
„& implicite (si non subsit causa, quæ
„requirat fidem explicitam) omnia illa,
„quæ circa doctrinam fidei fuerunt de-
„creta in Conciliis generalibus, ap-
„probatis a Romano Pontifice: ii vero,
„qui contumaciter profitentur doctri-
„nam oppositam, sunt ipso jure separati
„a cætu fidelium nullo Christianorum
„exempto. „

Lutherani vero responderunt: „quo-
„niam vero Ecclesia fundata esse de-
„bet super fundamento Prophetarum &
„Apostolorum, quod est Jesus Christus,
„ideo omnis illa doctrina, quæ neces-
„sario ad illud, juxta S. Scripturam,
„pertinet, pro fundamentali haberi de-

Sæc. XVII. „bet. Qualia dogmata omnibus ad sa-
A. C. 1651. „lutem scitu necessaria sint, Catechis-
 „mus in se complectitur, v. g. de lege,
 „Symbolo Apostolico, Oratione Domi-
 „nica, Baptismo, & S. Eucharistia.,
 „Quod si quis hæc pertinaciter re-
 „jicit, aut veram de iis doctrinam con-
 „tumaciter impugnat, reipsa a vera
 „Ecclesia separatus est: controversiæ
 „autem, si quæ moventur fundamen-
 „tum Salutis concernentes, in illis
 „Christiani a suis pastoribus, ex sacra
 „Scriptura, recte informari debent, quo
 „sibi a falsa sententia, omni studio ca-
 „veant, inque vera fide sinceri usque
 „ad finem permaneant. Cæteroquin re-
 „liqua, quæ in sacra Scriptura com-
 „prehenduntur, sine salutis jactura
 „ignorare, non vero contumaciter per-
 „negare licet.,

Ad hæc autem regesserunt Catholici:
 „quod Catechismorum aliquæ centu-
 „riæ existunt, & ignoretur, quisnam
 „ex omnibus complectatur Lutheranam
 „doctrinam de fide, aut ubinam repe-
 „periri potuerint ejusmodi Catechismi
 „ante Lutherum? præterea nullus hæ-
 „reticus per seipsum a vera Ecclesia
 „unquam fuit segregatus, sed per ju-
 „dicem Ecclesiasticum, cujus tamen
 „excommunicationem Lutherani sem-
 „per oderunt.,

Postu-

Postulatur III. Decisio quæstionum, Sæc. XVII.
 quæ inter Christianos ab ætate Lutheri A. C. 1651.
 periculose controvertuntur, facta re-
 ductaque in libros symbolicos, aut
 quomodolibet aliter nuncupatos.

Reposuerunt Catholici, „quod arti-
 „culi ab ætate Lutheri controversi in-
 „ter Christianos, fuerint decisi a Sacra
 „œcumenica Tridentina Synodo. con-
 „firmata a Pio IV. Romano Pontifice.„

Responderunt Lutherani, „quæstio-
 „nes illas ex S. Scriptura perspicue de-
 „cisas extare in invariata Augustanæ
 „Confessionis ejusdem Apologia, Con-
 „cordia Wittenbergensi, Articulis
 „Schmalkaldicis, & Catechismis Lu-
 „theri, tanquam libris Ecclesiarum Lu-
 „theranarum symbolicis.„

Huic responso objecerunt Catho-
 lici, hanc quidem unicam esse respon-
 sionem claram & præcisam, Lutherani
 autem itidem clare demonstrare debuis-
 sent, quænam sit illa Ecclesia, quæ
 consentiat in omnes hosce libros: cum
 autem responderunt, esse illam, quæ
 invariatae Augustanæ Confessionis est
 addicta, rediit quæstio Catholicorum,
 ubi sit, & antea fuerit illa invariata
 Confessio?

Postulatur IV. „Utrum post ætatem
 „Apostolorum extiterit aut existat ho-
 „mo, aut cætus hominum, qui habeat

Sæc. XVII. „infallibilem auctoritatem proponendi
A. C. 1651. „doctrinam fidei, definiendi exortas
 „circa illam Controversias, & segre-
 „gandi a fidelium cætu illos, qui sunt
 „aperte contumaces in illam doctrinam?
 „si autem quis iudicet, nec extare, nec
 „extitisse ejusmodi hominem, aut ho-
 „minum cætum, quæritur, quid id sit,
 „unde Christiani sibi derivare queant,
 „ac debeant doctrinam fidei ejusque
 „explicationem super sensu S. Scriptu-
 „ræ, siquidem subjiciuntur disputationi
 „non tolerandæ?

Responderunt Catholici: „Post æta-
 „tem D. Petri Pontifices Romani, ejusque
 „successores, habent auctoritatem in-
 „fallibilem in proponenda & declaran-
 „da universæ Ecclesiæ, ex Cathedra,
 „doctrina fidei Christianæ: & juris-
 „dictionem segregandi a cætu fidelium
 „eos omnes, qui contumaciter eam
 „pernegant.”

Lutherani vero responderunt: „Infal-
 „libilem illam auctoritatem decidendi
 „obortas controversias, & proponendi
 „doctrinam, post Apostolorum tempora
 „nulli homini aut cætui assignamus,
 „sed soli scripturæ Sacræ, quæ tan-
 „quam vox Spiritus sancti infallibilis,
 „nobis veram fidei doctrinam proponit,
 „falsam vero condemnat. Ita ut Spi-
 „ritus Sanctus sit supremus Judex,
 „sacra

„sacra Scriptura vero tanquam vox Spi- Sæc. XVII.
 „ritus &c. sit norma illa unica, secun- A. C. 1651.
 „dum quam Ecclesia ministerialiter
 „proponit, & decedit, & quamdiu quis
 „eam sequitur, omnis erroris expers est,
 „ab ea vero ubi discedit, in errorem
 „prolabitur, „

Verum ex eis sciscitabantur Catho-
 lici, quid sit illud, unde Christiani sibi
 cavere possint ab ejusmodi erroribus,
 cum juxta ipsos Ecclesia errare possit,
 & Scriptura a diversis diverse intelli-
 gatur. Hanc quæstionem a Luthera-
 nis fuisse ne verbo quidem tactam, que-
 rebantur Catholici, qui vigesima sexta
 Decembris die Lutheranorum respon-
 siones acceperunt, quibus mature pon-
 deratis per Landgravium postularunt,
 ut, cum ipsi statuant, Spiritum sanctum
 esse judicem controversiarum fidei, &
 Biblia esse normam Judicis, ipsi sigil-
 latim libros Canonicos enumerent, &
 eorum versionem, quæ sit adhibenda
 in Ecclesia, indicent: ad quod respon-
 derunt Lutherani, se pro Canonicis ha-
 bere omnes V. T. libros, prout exstant
 in Bibliis hebraicis, & omnes Novi te-
 stamenti, versionem autem in Ecclesia
 adhibendam esse illam, quæ ex fonte
 authentico veteris Testamenti hæbræo,
 & Novi Testamenti Græco purissime
 fluit: cum autem ex hac responsione
 nec

Sæc. XVII. nec manifestum esset, quem Lutherani
A. C. 1651. ex multis Bibliorum Canonibus appro-
 bent, & quænam, & ubi sit illa purif-
 sima versio, Lutherani responderunt, il-
 lam esse versionem Germanicam Lutheri:
 ad hæc vero regefferunt Capuccini,
 quod ante Lutherum in tota Ecclesia
 nullam authenticam versionem extitisse
 sequeretur, nec etiam probari, quod
 Lutheri versio sit pura.

Postmodum in actione secunda PP.
 Capuccini die decima septima Decem-
 bris Rheinfelsæ comprobatum redde-
 bant, quod Pontifex Romanus sit suc-
 cessor Divi Petri in potestate pascendi
 & regendi universam Ecclesiam, quod-
 que tanquam verus Christi Vicarius,
 totiusque Ecclesiæ caput Primatum ju-
 risdictionis teneat: Eadem die vicissim
 Lutherani Præcones suas, ut vocabant,
probationes exhibuerunt; variis enim
 S. Paginæ textibus comprobare nite-
 bantur, quod illa sit vera Ecclesia, in
 qua Verbum Dei pure docetur, & Sa-
 cramenta legitime dispensantur, id est,
 convenienter ad Scripturam Prophe-
 ticam & Apostolicam, atqui apud Lu-
 theranos &c. quod Christus sit unicum
 Ecclesiæ fundamentum, cui, quia Lutheri
 doctrina necessario adhæret, hæc fun-
 damentalis est, denique quod Scriptu-
 ra sit unica vox Spiritus Sancti infal-
 libilis

libilis & decisiva omnium controver-
fiarum atque Ecclesia Lutherana veri-
tatem suorum dogmatum unice ex Scri-
ptura deducit, ergo &c. Tribus hisce
argumentis PP. Capuccini die decima
octava respondentes Lutheranis expro-
babant, quod semper *Majorem*, ut vo-
cant, quam tamen Catholici non ne-
gant, multis S. Scripturæ textibus con-
firmarint, *minorem* vero ne verbo qui-
dem probarint, sed unico hoc verbo
res per se patet, probationem absolve-
rint, cum tamen pariter S. Scripturæ
locis comprobare debuissent, quod con-
fessionis Augustanæ aliorumque libro-
rum symbolicorum doctrina arcte & ne-
cessario adhæreat Christo unico Eccle-
siæ fundamento &c. Postulabant igitur
Patres, ut Lutherani clare & sine
ambage declararent, quomodo quilibet
possit sibi sufficienter cavere ab errori-
bus quorumcunque docentium ex San-
ctis literis Christianam fidem, & defini-
entium quæstiones inde obortas, cum
ipsi teneant, quod supremi Judices Ec-
clesiastici Sacram doctrinam multiplici
hæresi corruperint, aut saltem corrup-
pere potuerint. Nil reliquum habe-
bant Lutherani, nisi ut gloriarentur,
quod ex propria Patrum confessione in
Sacris literis expresse non haberetur,
quod Romanus Pontifex infallibilem
habeat

Sæc. XVII.
A. C. 1651.

Sæc. XVII. habeat auctoritatem & jurisdictionem, A. C. 1651. perinde ac si ipsa hæc veritas luculenter ex ipso Sacræ Scripturæ textu, & Ecclesiæ decretis per consecutionem necessariam non inferretur: ceterum Patres mentem suam circa Pontificis infallibilitatem denuo in actione quinta explicarunt. Tandem ergo Lutherani Præcones Ernestum Landgravium adibant, exponentes, *quod ob publicam in Academia professuram, & urgentia sui officii negotia, hisce in locis ultra commorari, aut sese detinere nequirent, attento quod ad hanc controversiam debite deducendam, longius temporis spatium requireretur, se autem ex loco suæ habitationis sententiam suam in scriptis, & punctum Religionis postulatum singulis septimanis per ordinariam Postam transmissuros, quo & huic negotio & incumbenti sibi domi officio satisfacerent.*

Ad hæc respondit Landgravius, quod cum res vix incæpta fuisset, saltem biduo aut triduo adhuc remanerent, aliunde vero tam subitaneus illorum discessus varia inter diversos iudicia excitaret. Nihilominus Lutherani dimitti denuo instanter petebant, tandem vero ad Principis sui preces usque ad vigesimam primam Decembris subsistere decreverunt. Igitur Patres Capuccini die decima nona præfati Men-

Mensis ad Lutheranorum argumentum Sæc. XVII.
 de Sacra Scriptura tanquam contro- A. C. 1651.
 versiarum iudice responderunt, quod
 duplex sit regula, juxta quam Chri-
 stiani credunt symbolum fidei & diri-
 munt controversias circa illud exortas:
 Prima sit Catholicorum, altera Nova-
 torum; hæc supponens supremam ju-
 risdictionem Ecclesiasticam non errare
 in proponenda ac declaranda doctrina
 fidei, docet credere Deo revelanti sym-
 bolum fidei esse verum, & Ecclesiæ, cui
 facta est revelatio, proponenti & de-
 claranti præcipit credere, symbolum
 fidei esse revelatum a Deo.

Altera Novatorum supponens supre-
 mam jurisdictionem Ecclesiasticam er-
 rare in fide, disponit correctionem e-
 jusmodi errorum ex Sacris literis con-
 venienter consultis: Jam ex his demon-
 strarunt Patres, quod illi, qui sequun-
 tur primam Regulam, ab exordio Ec-
 clesiæ Christi in unum cætum coeant,
 recipiant Symbolum traditum ab Apo-
 stolis unacum iis declarationibus ejus-
 dem Symboli, quæ editæ sunt a Ro-
 mano Pontifice cum adjuncto Concilio
 Generali, aut alio ab Ecclesia appro-
 bato, quodque hi scilicet Catholici in
 eadem sententia de fide, ab exordio
 Ecclesiæ Christi, usque ad hanc nostram
 ætatem sint, quatenus immutabiliter
 acce-

Sæc. XVII.
A. C. 1651

acceptant Symbolum Apostolicum cum omnibus declarationibus editis per supremam jurisdictionem Ecclesiasticam, ita ut nullum unquam fuerit momentum, in quo hic cœtus Catholicorum desierit esse in orbe Christiano.

Econtrario autem illi, qui Novatorum inhærent Regulæ, in plurimos scindantur cœtus sc. Lutheranos, Calvinistas &c. nec ullum habeant, ne habuerint cœtum, qui idem ab exordio Ecclesiæ in fide usque ad hanc diem perseverat: inde autem inferebant Patres, quod si cœtus Novatorum haberent in orbe Christiano initium post fundatam Ecclesiam Christi & desierunt esse, nullus autem ejusmodi cœtus possit esse vera Christi Ecclesia, necessario sequatur, cœtum Novatorum non esse veram Christi Ecclesiam, quæ veram fidei doctrinam foveret. Ad hæc obmutuere Prædicantes, qui cum *minorem*, ut vocant, antea non probarint, nunc duntaxat Patres Capuccinos provocarunt, ut si *minorem* negent, cum eis in arenam descendant; mox autem Patres in actione sexta fundamentalem Lutheranorum doctrinam impugnantes, eis demonstrarunt, quod ex ipsorum dogmate, vi cujus quilibet potest ac debet ex Sacro textu etiam totius Ecclesiæ

Sæc. XVII.
A. C. 1651.

clesie doctrinam circa fidei essentialia
 dijudicare, an cum Sacro textu concor-
 det vel discordet, necessario sequatur,
 quod talis a fide vera deficiat, & in-
 pudendam hæresin prolabatur; die au-
 tem vigesima prima Decembris Luthe-
 rani Præcones Rheinfelsa discesserunt,
 scriptum tamen quoddam relinquentes,
 in quo asseruerunt, non tamen proba-
 runt, quod quidem ipsorum Ecclesia
 quoad tempus & locum non semper du-
 rarit, bene tamen quoad Apostolicam,
 & puram doctrinam. Altera die cum
 Lutherani jam discessissent, Patres Er-
 nestum Principem his verbis alloque-
 bantur: *Heri accepimus a D. Haberkornio
 ejusque collegis mox discessuris eorum actio-
 nes V. & VI. & considerantes dicta, scri-
 pta & facta a decima sexta usque ad 21.
 hujus mensis, animadvertimus evidenter eo-
 rundem fugam a disputatione, in disputa-
 tione vero fugam a positione propriæ do-
 ctrinæ, a consutatione nostræ, a confirma-
 tione suæ, aversos insuper a sincero studio
 veritatis. Quapropter non existimamus
 operæ pretium quicquam aut otii aut labo-
 ris impendere in ulteriore disceptatione cum
 illis, quos tamen Deo enixe commendamus.
 Sane scimus idem de illis esse judicium Ve-
 stræ Celsitudinis, quæ pertæsa harum nugæ-
 rum palam profitetur se catholicum, id ipsum
 professura sollemniter tempore definito, di-
 Hist. Eccles. Tom. LXI. Aaa dura*

*Sæc. XVII. Cura insuper in Ecclesiæ proscenio causas
A. C. 1651. desertæ a se Protestantium doctrinæ.*

His actis Landgravii jussu Joannes Maternus Hoffius publicus Notarius omnia hucusque dicta & scripta fideliter ad acta retulit, suoque chirographo firmavit. Patres vero Capuccini coram eodem Principe querebantur, quod Prædicantes etiam argumentis laceffiti semper ad thesin quartam tantopere a Landgravio quæsitam clare & præcise respondere tergiversati fuerint, & duntaxat propositiones inter Catholicos non controversas textibus S. Scripturæ firmarint, illas vero, quas Catholici negant, vel non probarint, vel duntaxat, ab aliis sufficienter probatas responderint, & extra propositum vagantes adventantibus Capuccinis dilcedere pararint, non sine gravi suspitione, quod suam doctrinam defendere erubescant.

§. CII.

Disputatio II. oretenus habita.

*Hist. Sagit.
introd. t. 2.*

Ex mandato utriusque Landgravii Georgii & Ernesti die trigesima Decembris altera habebatur disputatio, in qua non amplius scriptis, sed oretenus prolatis argumentis quædam fidei dogmata discutiebantur, ita tamen, ut ad

Sæc. XVII.
A. C. 1651.

ad PP. Capuccinorum preces cuncta utriusque partis dicta per Notarium integra fide transcriberentur: Huic concertationi initium fecit Ernestus Princeps hæc prolocutus: *Dilectissimi Domini utriusque partis. Supervacaneum esse duco ea jam repetere, quæ antehac, tam publicis, & impressis scriptis, de colloquio, propter quædam Religionis puncta instituendo, quam privatis, usque diversis literis, amice & benevole ipsis transmissa fuerunt. Cujus rei gratia etiam Dominus Cognatus, Landgravius Georgius indulgit, ut sui DD. Theologi huc adventarent. Tametsi vero, quantum ad me, ille modus, quo res scriptis discuteretur, mihi præ aliis placuerit, nec obstante hoc congressu, responsorias DD. Theologorum, ad meas sibi heri traditas literas, alterutriusque expectem, nihilominus hanc vocalem conferentiam, ad suam instantiam, & utriusque partium beneplacitum, ipsis deferre volui; postulans, ut non tantum moderate & absque calumniis procedatur, verum ne quidquam absque fructu incassum tradatur, utraque pars sua argumenta & responsiones ad calamum distabit: & quidem DD. Lutherani Theologi magistrum Happelium: Adm. Rev. vero P. Valerianus, D. Patrem Benignum ad conscribendum Protocolum adhibere poterunt.*

Sæc. XVII. *Insuper Joannem Maternum Hoffium*
A. C. 1651. *Cæsareum Notarium hisce requiro, ut vir-*
tute Notariatus sui officio ad hunc actum,
Et quæ ab utraque parte peragentur, Et
proponentur, sollicitè attendat, auscultet,
ac sine respectu partium in Protocolum
transponat.

Postea Haberkornius publicum colloquium, & Notarii testimonium declinaturus, Ernestum Landgravium his verbis alloquebatur: „Serenissime
 „Princeps, Clementissime Domine, constat Celsitudini Vestræ, quod nulla
 „alia ratione discursum colloquii cum
 „P. Valeriano acceptaverimus, nisi ut
 „fieret privatim. Experimur autem
 „non solum publicum actum hic institutum, verum singula etiam calamo
 „excipienda esse, quæ inanis perditio
 „temporis est, & parvæ utilitatis negotium; præterea Celsitudo Vestra
 „Cæsareum Notarium adjunxit, id,
 „ut contrarium nostræ instructioni, a
 „Clementissimo Principe nostro acceptæ,
 „nos gravat, verumtamen modum
 „dictandi in calamum probantes, Notarium,
 „quem ex nostra parte nullum
 „habemus, neque illo indigemus, obsecramus amoveri. „

Huic tamen Valentinus Purgoldt, qui Principi a secretioribus consiliis erat, nomine ejusdem respondit: „Sa-
 „tis

„tis percepit Celsissimus Princeps men- Sæc. XVII.
 „tem DD. Theologorum Augustanæ A. C. 1651.
 „Confessionis, quod de cæsareo Nota-
 „rio publico, ab hoc disputationis actu
 „removendo attulere: quia vero ipse
 „indifferens est ratione sui officii, pro-
 „fessione Lutheranus, nec adhibetur
 „in præjudicium partis, sed requisitus
 „cuicumque operam suam collocare te-
 „netur, rationi consonum haud vide-
 „tur, ipsum excludi debere. Attamen,
 „si res aliquam paritura esset conside-
 „rationem de adjungendo Notario cæ-
 „sareo, intermittetur notariatus Offi-
 „cium, & aget Joannes Maternus Hof-
 „sius personam scribæ & Exceptoris ex
 „parte Adm. R. P. Valeriani Magni,
 „prout D. M. Happelius ex parte D. Ha-
 „berkornii, in iis, quæ ex colloquio
 „præsenti adnotanda sunt.,,

Acquiescentibus demum Luthera-
 nis P. Valerianus colloquium inchoa-
 turus hanc thesin disputationi subjecit:
Innocentius Papa X. Episcopus Romanus
habet infallibilem jurisdictionem super uni-
versam Christi Ecclesiam, postea petit,
 ut vicissim Haberkornius oppositam
 proponeret thesin, hic vero respondit:
 non esse Principis mentem, ut quæli-
 bet thesis sigillatim pertractetur, proin-
 prius posita hæc thesis discuteretur:
 verum urgente Valeriano, tandem suam

Sæc. XVII. thesin ita exposuit, non Pontifex habet
A. C. 1651. infallibilem & universalem jurisdictionem
 &c. sed sola Scriptura est infallibilis, unica,
 & perspicua norma omnium dogmatum fidei,
 & morum, mox vero regressit P. Valerianus, hanc non esse thesin, quæ desideraretur; ipsos enim Catholicos admittere, quod Sancti textus habeant auctoritatem super universam Ecclesiam, ita ut censendus sit hæreticus, qui vel unicum textum negaverit, proin ipsemet Papa & Concilia tenerentur, nihil judicare & definire contra Sacrum textum, sed hunc esse consulendum circa controversias &c. itaque circa hoc Caput hanc inter Catholicos & Lutheranos controversiam esse, an Pontifex cum Concilio generali, vel alio approbato definiens aliquid, consultis Sanctis literis definiat citra errorem, cum jurisdictione, quæ universam Ecclesiam obstringit? vel an quilibet debeat privato suo scrutinio consulere Spiritum sanctum ex Sacris literis, ut sibi ab errore caveat, cui juxta Lutheranos suprema jurisdictio Ecclesiastica est obnoxia. Verum ab Haberkornio nihil aliud extundi poterat, nisi quod opposita thesis sua non sit alia, nisi Pontificem non esse infallibilem, quamlibet vero Ecclesiam ex innato S. Scripturæ lumine, si ei fideliter attendatur, veram sententiam demonstrare posse,

posse, nec extrinseco lumine assistentis Spiritus sancti egere: cum ergo ab hoc Prædicante amplius obtineri haud posset, P. Valerianus hoc proposuit argumentum: *Innocentius X. succedit Petro, supra quem fundata est Ecclesia, contra quam non prævalebunt portæ inferi, sed talis habet jurisdictionem infallibilem &c.* ergo: Negabat autem Haberkornius, quod Papa ratione Apostolicæ jurisdictionis Petro succedat, & quod universa Ecclesia sit fundata super Petrum seu Petri Monarchicam jurisdictionem: cui tamen responsioni P. Valerianus hæc reposuit: *Innocentius Papa succedit Petro in illa jurisdictione, quæ conservat Ecclesiam incolumem contra inferi portas, talis autem, qui sic succedit, necessario succedit in jurisdictione Monarchica a Christo collata, proin Innocentius succedit &c.* cum autem Haberkornius negaret, quod Papa Petro in jurisdictione universali Monarchica, quæ universam Ecclesiam conservaret, succedat, atque ejusmodi jurisdictionem nec necessariam, nec a Christo institutam, sed Ecclesiam ex institutione Christi per Pastores S. Scripturæ adhærentes conservari diceret, hinc P. Valerianus opposuit, quod Petri jurisdictio sit quidem Monarchica, non tamen excludat jurisdictionem subordinatam Episcoporum & Concilio-

Sæc. XVII.
A. C. 1651.

Sæc. XVII. rum: dein sciscitabatur ex Haberkornio, an quando Christus soli Simoni
 A. C. 1651. nomen mutavit, in hac mutatione voluerit significare insignem aliquam prærogativam circa Ecclesiæ regimen, quæ soli Petro conveniat: hujus quæstionis difficultatem Haberkornius eludere nitentur, afferendo exempla, in quibus ex nominis mutatione non inferitur specialis prærogativa: instabat autem P. Valerianus, se non dixisse, quod nominis mutatio jurisdictionem Monarchicam inferat, sed sciscitasse, utrum illa mutatio significet prærogativam *soli Petro propriam*, respondere igitur cogebatur Haberkornius, quod nomen Petri sit Petro proprium, res autem reliquis Apostolis communis: quoniam vero hac responsione nondum satisfecisset quæstioni, cur Christus soli Simoni, præceteris Apostolis hoc nomen dederit, P. Valerianus, ne suo adversario plenam a scopo fugiendi facultatem permetteret, textum D. Mathæi cap. 16. discussit, demonstrans, quod Lutherus, ut Ecclesiam everteret, hunc textum sinistra interpretatione depravarit, & eliminatis antiquæ Ecclesiæ articulis se infamem reddiderit ob blasphemias in Deum & Sanctos, commercium cum Diabolo, ebrietatem & crapulam, Apostasiam, & concubinatum cum Virgine Deo

Deo sacra, ac demum propter ingen- Sæc. XVII.
 tem scurrilitatem: Tum vero Haber- A. C. 1651.
 kornius P. Valerianum interpellans aje-
 bat, has duntaxat esse criminationes
 ad rem non pertinentes, & disputatio-
 nis instituto plane indignas: Valeria-
 nus autem ad Ernestum Landgravium
 conversus petiit, ut sibi liceat primam
 Lutheranismi originem, ejusque qua-
 litates ea libertate comprobare, qua
 Lutherani ex universa antiquitate Ec-
 clesiastica quotidie corradunt, quæ Ro-
 manis Pontificibus vitio vertere possent,
 Ad hæc jussit Princeps, ut P. Valeria-
 nus suum prosequeretur sermonem. Hic
 itaque objecta crimina comprobans, Ha-
 berkornium ita alloquebatur: *Ego cum
 meis sociis, & universa Ecclesia catholica
 profitemur, protestamurque, nullam esse
 sub Deo auctoritatem contra sacrum textum;
 quæstionemve inter nos & vos nequaquam
 esse, an debeamus Papæ plus credere, quam
 sacris literis? sed, an debeamus plus cre-
 dere expositioni textus, quem commentus
 est Lutherus, & vos comminiscimini ex do-
 ctrina Lutheri, quam illi expositioni, de-
 cretæ a Conciliis generalibus cum Pontifice
 Romano, quatenus enim Vestræ Domina-
 tiones (alloquor DD. Theologos Augusta-
 nos) intelligant, quantæ molis negotium sit:
 dico ex vestra sententia, Lutherum & Lu-
 theranos emendare doctrinam Ecclesiæ, &*

Sæc. XVII. ritus Ecclesiasticos, velut irrepserint sensim
A. C. 1651. a tempore Apostolorum ad hunc usque diem.

Istis considerationibus præmissis vestra explicatio præfati textus Matth. 16. debet esse ingentis ponderis, scilicet claritatis & evidentiae, quatenus Ecclesia catholica, toto orbe terrarum diffusa, ad unius Lutheri novam explicationem sinat se emendare ab imputatis erroribus in fide, velut qui irrepserint a continuis mille quingentis annis.

Perorantem P. Valerianum interpellans Haberkornius, apud Principem vehementer querebatur, quod præfatus Pater tot injurias toties confutatas sibi, suisque Ecclesiis irrogarit, ac propterea declarabat, quod ipse cum suis Sociis huic colloquio haud ultra interesse velit: quo audito Landgravius hæc respondit: „Intellexi a D. Doctore Haberkornio, utpote qui nomine Collegarum suorum locutus est: quod unanimiter sese resolverint, non progredi ulterius in hoc colloquio, propter imputatos Lutheri defectus, & nævos a Patre Valeriano: & quod nihilominus his non attentis Christianæ humanitatis obsequium personæ meæ deferant. Ego sperassem, quod, quem admodum DD. Doctores Augustanæ Confessionis, recenti memoria tenent, neque negare possunt, ipsum a pluribus, videlicet Imperatoribus, Regibus,

„bus, Rebuspubl. Proceribus, Magna- Sæc. XVII.
 „tibus mundi, agnitum & receptum A. C. 1651.
 „Pontificem Rom. tanta & multo ma-
 „jora quam P. Valerianus Luthero,
 „imputarunt, & quotidie absque cessa-
 „tione, non solum impressis suis libris,
 „& privatis colloquiis, verum etiam in
 „suggestis publice, communi plebi in-
 „culcare accusationes non verentur;
 „propter retorsiones personæ Lutheri
 „factas nullatenus institutum congres-
 „sum abruptissent, verum hoc tam
 „christianum opus absque interruptio-
 „ne continuassent. Quod superest, om-
 „nem favorem a me expectabunt. Adm.
 „Reverend. autem P. Valerianum oro,
 „ut ante-meridianam hanc actionem
 „brevis sermone concludat, nec suam
 „gravetur proferre opinionem de iis,
 „quæ Dominus Haberkornius de ab-
 „rumpendo colloquio locutus est. „

Absoluto Principis sermone P. Va-
 lerianus hæc respondit: *Quoniam Cel-*
siſſimus Princeps a me postulet coronidis
loco, compendium hujus duntaxat inchoatæ
disputationis, illud unice desidero & pono.

Cætus Lutheranorum habuerunt exor-
dium a Martino Luthero, supra qualificato.
Illa Ecclesia, quæ habuit exordium a Viro
eatenus qualificato, est falsa, fovetque do-
ctrinam falsam.

Ergo

Sæc. XVII.

A. C. 1651.

Ergo cætus Lutheranorum est Ecclesia falsa, fovetque doctrinam falsam. Probabo Minorem ex libris ejusdem Lutheri. Majorem vero a ratione sana, sive hæc disputatio abrumpatur, sive non.

Hisce finitum est colloquium, cujus gesta rursus fide publica Hoffius Notarius actis inseruit, suoque sigillo confirmavit.

§. CIII.

Ernestus Hassiæ Landgravius ad fidem Catholicam reversus.

Dorschæ.

Christ. medit.

Imhof. N. P.

l. 4. c. 7.

Acta Calixt.

et Ernest.

Præterea Georgius Calixtus die decima quinta Decembris, necnon vigesima secunda ejusdem Mensis datis literis dubia ab Ernesto Landgravio proposita dissolvere nitebatur, cum autem hic idem Princeps sat luculenter humana Calvinæ æque ac Lutheri commenta detexisset, suosque Prædicantes dissolvendis dubiis impares cerneret, tandem cognitæ veritati victas dedit manus, atque anno sequenti unacum Serenissima Conjuge sua Eleonora Maria Philippi Rheinhardi Solmensis Comitis Filia Coloniz ipso Trium SS. Regum festo, tempore solemnioris Sacrificii, quod Maximilianus Henricus Archiepiscopus & Elector primum Deo litaverat, ejurata secta, Catholicam fidem
in

in ipsius, ut loquimur, manibus præ-
 sente Philippo Duce Neoburgico publice
 profitebatur. Erat is Mauritii Hasso-
 Casselensis Landgravii Filius, stirpis
 Rhenofelsensis Fundator, in cujus po-
 steris in Rotenburgensem, & Wanfri-
 danam lineas divisit, hodie dum Catho-
 lica Religio floret, eisque Romana
 Ecclesia trans Rhenum plurimum de-
 bet. Biennio post Elisabetha Amalia
 Philippi Neoburgici Ducis Coniux
 Schwalbaci primum, & postea Düffel-
 dorpii, necnon Georgius Christianus
 Hassiæ Landgravius Bruxellis in Bel-
 gio sectam ejurarunt, Edidit Ernestus
 Princeps præter conversionis suæ mo-
 tiva librum, cui titulus: *Catholicus Di-*
cretus, in quo moderatas de hodierno
 Religionum statu animadversiones ad-
 duxit, quibus tamen Andreas Kühn
 suum *Discretum Catholicum Autocatacri-*
tum opposuit, & Joannes Georgius
 Dorschæus Ernesti motiva refellere co-
 natus est.

Sæc. XVII.
 A. C. 1651.

§. CIV.

Bulla Urbani VIII. jussu Philippi Hi-
spaniæ Regis in Belgio pro-
mulgata.

Hoc item anno Philippus IV. Hispa-
 niarum Rex Leopoldo Austriæ Ar-
 chiduci, *Argentre Coll. Ind. de nov. err. t. 3. p. 259.*

Sæc. XVII. chiduci, ac Belgii Gubernatori in man-
 A. C. 1651. datis dedit, ut Urbani VIII. Constitu-
 tionem contra Jansenii librum editam
 in hac Provincia promulgari, atque
 executioni dari curaret, hancque in
 rem sequens edictum die ultima Fe-
 bruarii conditum transmisit.

Philippus Dei gratia, Rex Castellæ
 &c. omnibus literas præsentis inspe-
 cturis, Salutem.

„Cum Bulla Urbani VIII. data 8.
 „Martii 1641. & publicata Romæ 19.
 „Junii 1643. qua prohibentur aliqua
 „sententiæ & opiniones Theologorum,
 „speciatimque libri, cujus titulus est,
 „*Augustinus Cornelii Jansenii, &c.* jam
 „pridem huc missa fuisset, ut promul-
 „garetur, omnibusque innotesceret:
 „quod hucusque non fuit uniformiter
 „observatum in omnibus Diocesisibus,
 „propterea quod Theologi nostræ Uni-
 „versitatis Lovaniensis, aut saltem ple-
 „rique illorum huic promulgationi sese
 „opposuissent, varias causas prætexen-
 „tes, tempusque & moram postulan-
 „tes, ut suas rationes possint eidem
 „summo Pontifici Urbano VIII. propo-
 „nere. Quod cum fecissent, & depu-
 „tati nomine Universitatis diu multum-
 „que, tum verbo, tum scriptis eas pro-
 „posuissent in Congregatione Romanæ
 „& Universalis Inquisitionis, summo
 „Pon-

„Pontifex audita relatione iterum sta- Sæc. XVII.
 „tuisset Decreto edito 16. Junii 1644. A. C. 1651.
 „ut Bulla supradicta plenum & inte-
 „grum fortiretur effectum. Cui sen-
 „tentix minus acquiescentes præfati
 „Doctores nos audiissent per Deputatos
 „ad Curiam nostram Madritum missos:
 „ubi rursus audita fuissent, quæcun-
 „que illis placuit proponere & allegare,
 „nullaque reperta causa legitima im-
 „pediendi aut protrahendi ulterius pro-
 „mulgationem & executionem Bullæ
 „supradictæ, misimus ad charissi-
 „mum consobrinum nostrum Leopoldum
 „Archiducem Austriæ, Ducem Burgun-
 „diæ, Governatorem Belgii, &c. Quid
 „super hoc negotio fieri vellemus. Cum
 „denique tum sub idem tempus, qui
 „nunc Sedem Apostolicam tenet, In-
 „nocentius X. ejusque prædecessor Ur-
 „banus VIII. institerint, ut Regiam po-
 „testatem nostram interponeremus, quo
 „prædicta Bulla executioni mandare-
 „tur Idcirco postulationi summi
 „Pontificis satisfacere volentes, & ve-
 „stigiis prædecessorum nostrorum in-
 „sistere, Regiæ auctoritate provi-
 „dere incommodis quæ ex Bullæ
 „promulgatione oriri possent, injuncto
 „Archiepiscopis & Episcopis mandato
 „ad omnes justitiæ ministros prius
 „misso, ut auctoritati Ecclesiasticæ
 „opem

Sæc. XVII. „opem suam ac robur adjungerent, in-
A. C. 1651 „novavimus, & per præsentis inno-
 „vamus, respectu quorumcunque cu-
 „juscunque sint status, dignitatis, aut
 „qualitatis, prohibitiones easdem cum
 „illis, quæ in Bullis continentur. Et
 „ut exactior sit mandati nostri execu-
 „tio, injunximus, & injungimus om-
 „nibus edicti nostri transgressoribus
 „multam quingentorum florenorum pro
 „prima vice, & pro secunda vice po-
 „nam exilii in sexennium. . . . „

§. CV.

*Eadem Bulla a Gandavensi Episcopo
 in hac Diœcesi promulgata.*

*Argentre
 Collect. Jud.
 t. 2. p. 251.*

Hujc Regis mandato alii Episcopi in
 Belgio, licet inviti, morem gerere
 cogebantur, atque inter eos præprimis
 Antonius Triestius Episcopus Ganda-
 vensis die vigesima sexta Martii Urbani
 VIII. Constitutionem promulgavit, e-
 dito hoc decreto: „Noveritis, quod
 „Clementissimus noster Rex & Princeps
 „considerans publicam quietem suorum
 „subditorum in dies magis, magisque
 „per graves controversias inter utram-
 „que Clerum occasione publicationis
 „Bullæ S. D. N. Urbani VIII. felicis re-
 „cordationis infra de verbo ad verbum
 „subjectæ, qua proscribitur liber, cui
 „titu-

„titulus est: *Augustinus Cornelii Jan-* Sæc. XVII
 „*senii*, theses PP. Societatis Jesu, & A. C. 1651.
 „non nullorum aliorum tractatus inibi
 „expressi, exortas turbari, voluerit ser-
 „penti malo providere. Quodque in il-
 „lum finem suis literis datis *Madridi*
 „decima quarta Julii anno Christi mil-
 „lesimo sexcentesimo quinquagesimo
 „expresse Serenissimo Archiduci Leo-
 „poldo mandaverit, ut sine ulteriori
 „dilatione præfatam Bullam per suam
 „ditionem Belgicam curaret recipi,
 „publicari, ac observari, saltem quan-
 „tum colligere potuimus, donec &
 „quousque Sedes Apostolica, post no-
 „vum examen dicti libri sive illius re-
 „visionem, quam se post publicationem
 „dictæ Bullæ procuraturum edixit,
 „quatenus errores, si qui in illo inve-
 „niantur, expurgentur, & per illam si-
 „mul, quod respectu plurium virorum
 „gravissimorum satis frequenter in usu
 „fuit, quod de doctrina illius tenendum
 „foret, declarasset, quodque hanc suæ
 „Majestatis voluntatem, prædictus Ar-
 „chidux suis ad nos scriptis 28. Fe-
 „bruarii anni currentis, nobis insinua-
 „verit, ac mandaverit, ut dictam Bul-
 „lam prima die Aprilis proxime sub-
 „sequente, locis, modo, & forma con-
 „suetis per totam nostram Diœcesim
 „publicaremus. Nos itaque pro nostra
Hist. Eccles. Tom. LXI. B b b „in

Sæc. XVII. „in dictam Sedem obedientia, dictos-
 A. C. 1651. „que Regem & Archiducem observan-
 „tia, mandandum duximus, & per præ-
 „sentes mandamus omnibus universis
 „Ordinario aut delegato subditis, ut præ-
 „fatam Bullam recipiant, publicent, &
 „eidem obedenter pareant, ac per suos
 „domesticos & subditos observari fa-
 „ciant. Hortantes omnes & singulos
 „cujuscunque conditionis, qualitatis
 „aut gradus fuerint, ut obedientes E-
 „dicto Regio (quod eodem die publi-
 „cabitur) infra tres hebdomadas a die
 „publicationis illius, in civitate scili-
 „cet nostra commorantes, nobis omnes
 „& quoscunque libros, opuscula, tra-
 „ctatus, &c. In dicta Bulla recensitos,
 „& extra illam Decanis Christianitatis,
 „ad nos illico deferendos tradant, sub
 „pœnis in dicta Bulla & Edicto conten-
 „tis, incurrendis, & per Curiaë nostræ
 „Officialem infligendis & exequendis.
 „Et ne quis forte ob ignorantiam in illa
 „contentorum, sese excusare valeat,
 „curavimus, præfatam Bullam de ver-
 „bo ad verbum, ut supra diximus, de
 „novo imprimi, & huic nostræ Ordi-
 „nationi inferi.,

§. CVI.

*Iprensis Vicarii edictum de promul-
 ganda ejusdem Pontificis Con-
 stitutione.*

Mor.

Mortuo Jansenio Yprensi Episcopo, ad-
 huc dum vacabat hæc Ecclesia; ni-
 hilominus nomine eorum, qui defuncti
 Episcopi vices agebant, pro acceptanda
 Urbani VIII. Bulla ad Clerum, popu-
 lumque die vigesima septima Martii
 sequens affigebatur edictum:

Sæc. XVII.
 A. C. 1651.

Argentre
 l. c. p. 252.

„Sanctissimus Dominus noster Urba-
 „nus beatæ memoriæ Papa VIII. jam
 „dudum prohibuerat librum Reveren-
 „dissimi D. Cornelii Jansenii, dum vi-
 „veret Episcopi Yprensis, cui titulus:
 „*Augustinus*, uti & theses Patrum So-
 „cietatis Jesu, Collegij Lovaniensis ei-
 „dem libro oppositas, aliaque omnia
 „tam contra, quam pro dictis Jansenio
 „ac Patribus tunc impressa, vel in po-
 „sterum imprimenda, prout latius con-
 „tinetur in Bulla desuper edita die
 „octava Martii anno Domini millesimo
 „sexcentesimo quadragesimo secundo,
 „quæ tamen hucusque publicata non
 „fuit propter illas, quæ ex parte Uni-
 „versitatis Lovaniensis, tum apud Se-
 „dem Apostolicam in urbe, tum apud
 „Regem in Hispaniis movebantur diffi-
 „cultates, ex eo potissimum capite, ne
 „in Jansenio proscrip-tus videretur sum-
 „mus Ecclesiæ Doctor Augustinus. Ve-
 „rum cum iis non obstantibus, sua San-
 „ctitas dictæ Bullæ publicationem ur-
 „gere pergat, illamque Regia sua Ma-

Bbb 2

„jestas,

Sæc. XVII. „jestas, scriptis in eam rem ad Sere-
 A. C. 1651. „nissimum Archiducem Belgii Guber-
 „natores literis, absque ulteriori dila-
 „tione fieri mandaverit, addendo ni-
 „hilominus, postquam in hoc debita
 „S. Sedi Apostolicæ obedientia fuerit
 „exhibita, suas apud eandem preces &
 „authoritatem per Legatum suum in-
 „terponendas ad summum Pontificem
 „illa obedientia efficacius permoven-
 „dum, ut librum denuo examinari fa-
 „ciat, & deletis, si qui irreperint, er-
 „roribus, luci publicæ restitui. Nos San-
 „ctitati suæ, Regi nostro, ac Serenissi-
 „mo Archiduci humiliter obsequi volen-
 „tes, Promotori hujus Episcopatus
 „mandamus, Bullam ante dictam die
 „1. Aprilis per Serenissimum Archidu-
 „cem ad hoc designata, debite publi-
 „cari, atque ab omnibus exacte obser-
 „vari, adeoque a dicti libri, ac the-
 „sium, aliorumque, quæ pro aut con-
 „tra prodierunt, impressione, vendi-
 „tione, lectione, ac detentione, atque
 „in Scholis, pulpitis, ac concionibus,
 „a dicteris inter partes, scomatibus, ac
 „censuris omnino abstineri, sub poena
 „excommunicationis, aliisque arbitrio
 „nostro infligendis. Ac ne quis hujus
 „publicationis prætextu occasionem ar-
 „ripiat minus recte sentiendi de doctri-
 „na & autoritate ante dicti gloriosi
 „Docto-

„Doct̄oris Augustini, monendos censui-
 „mus omnes & singulos, nulla ratione Sæc. XVII.
 „per hoc intendi, ut authoritati atque A. C. 1651.
 „existimationi, quam S. Augustinus in
 „Ecclesia Catholica, Apostolica, &
 „Romana semper obtinuit, quidquam
 „detrahatur, aut præjudicetur, quin
 „imo Regiam suam Majestatem, nec-
 „non Serenissimum Archiducem præ-
 „fatis suis literis expressè mandare, ut
 „qui aliquid contra honorem aut vene-
 „rationem memorizæ, & operum ejus-
 „dem S. Augustini, aliorumque SS. Ec-
 „clesiæ Patrum dicere præsumpserint,
 „omni meliori modo compescantur, at-
 „que curetur, ne quid committatur,
 „quod splendorem eorundem SS. Pa-
 „trum aliquo usque offuscare, vel exi-
 „stimationem, gradum & authoritatem,
 „quam in eadem Catholica Ecclesia sem-
 „per obtinuerunt, possit imminuere. Ut-
 „que nullus conqueri possit per Bullæ
 „hujus publicationem in Privilegia Pa-
 „triæ impingi ob clausulam eidem in fine
 „insertam. *Publicationemque, affixionem,*
 „*& copiæ affixæ dimissionem hujusmodi, in*
 „*omnibus & quoad omnia sufficere, &c.* pla-
 „cuit eidem Serenissimo, per dictas suas
 „literas declarare mentis suæ non esse,
 „per hujus Bullæ publicationem iis præ-
 „judicium ullum inferre, sed illa om-
 „nia, sicuti antiquitus in usu fuerunt,
 „intacta & illæsa conservare.„

Sæc. XVII.
A. C. 1651.

§. CVII.

Eadem Bulla à Mechliniensi Archiepiscopo promulgata.

*Argentre
l. c. p. 153.*

Jam ante biennium Jacobus Boonen Mechliniensis Archiepiscopus publicis typis rationes vulgaverat, ob quas a promulganda Bulla, qua Jansenii liber proscribatur, abstinendum censuisset: nihilominus severo Hispani Regis mandato territus, tandem acquievit, hancque Constitutionem die vigesima nona Martii promulgari præcepit, edito Bruxellis hoc mandato:

„Notum facimus, quod cum circa
„publicationem Bullæ Urbani VIII. fe-
„licis recordationis datæ pridie Nonas
„Martii 1642. qua liber, cui nomen *Cor-*
„*nelii Jansenii Episcopi Yprensis Augusti-*
„*mus*, ac thesium PP. Societatis Jesu
„adversus eundem librum, & alia o-
„puscula tam contra Jansenium, quam
„pro ejus defensione in lucem emissa
„prohibentur, graves occurrerent diffi-
„cultates, & præcipue quod non pauci
„viri pii & docti judicarent, dicti libri
„prohibitione lædi auctoritatem doctri-
„næ sancti Patris Augustini, a summis
„Pontificibus, Conciliis, & SS. Patri-
„bus sæpius approbatæ, atque adeo a
„tota Ecclesia receptæ in ea materia,
„quæ

„quæ dicto libro principaliter exponi-
 „tur; adeo ut ab his, qui librum im-
 „pugnant, hæc sancta doctrina in con-
 „temptum adduceretur, eorumque
 „nonnulli palam asserere non vereren-
 „tur, quasdam propositiones in eodem
 „sensu, quo a sancto Augustino tra-
 „ditæ sunt, jam esse damnatas; ex quo
 „gravia oriri cæperant scandala, ac
 „porro timebantur majora in hisce præ-
 „sertim Regionibus, Hæreticis circum-
 „cinctis, quibus non levia suppeditan-
 „da videbantur argumenta ad oppu-
 „gnandam perpetuam sanctæ Romanæ
 „Ecclesiæ in rebus fidei constantiam,
 „& infallibilitatem: ac propterea spe-
 „ctabiles ex omni Ordine Theologi af-
 „firmarent, Jansenium inique apud san-
 „ctam Sedem traductum, tanquam qui
 „propositiones olim a sancta Sede dam-
 „natas, cum contemptu ejusdem Se-
 „dis renovasset, ac defendisset, atque
 „ita dictam Bullam, quæ hoc funda-
 „mento præcipue nititur, subreptitie
 „fuisse obtentam; & interea eo præ-
 „textu vir integerrimus, & ob doctri-
 „næ eminentiam, singularem pietatem,
 „aliasque dotes ad Dignitatem Episco-
 „palem eVectus, & veritatis Catholicæ
 „adversus hæreticam pravitatem acer-
 „rimus propugnator, atroci calumnia
 „non tantum ut hæreticus, sed hære-

Sæc. XVII.
 A. C. 1651.

Sæc. XVII. „fiarcha voce & stylo proclamaretur,
 A. C. 1651. „prævia matura deliberatione, & ex
 „gravium virorum iudicio, a promul-
 „gatione dictæ Bullæ hætenus super-
 „sedendum esse censuimus, neutiquam
 „hoc animo (uti a malevolis quibus-
 „dam sparsum est) ut Pontificiæ Au-
 „thoritati ullo pacto obsisteremus, pro-
 „qua defendenda etiam vitam & sangui-
 „nem, ubi res postulaverit, parati su-
 „mus effundere, sed hoc unico propo-
 „sito, ut interea sua Sanctitas de his,
 „quæ commemorata sunt, certior red-
 „di posset, eique supplicari, ut designa-
 „tis specialiter supradietis propositioni-
 „bus, ac parte utrinque ex æquo au-
 „dita, librum examinari, & cum scri-
 „ptis Divi Augustini conferri mandare,
 „dictisque malis opportuno remedio oc-
 „currere dignaretur. Cumque per De-
 „putatos Romam ea causa missos im-
 „petrari hoc non potuisset, ne ulla ex
 „parte in negotio tanti momenti officio
 „nostro deessemus, Regiæ quoque suæ
 „Majestatis opem & auxilium imploran-
 „dum esse duximus, ut ejus apud san-
 „ctam Sedem intercessione consequi
 „hoc daretur. Cum vero nihilominus
 „sanctissimus D. N. per Ministros suos
 „dictæ Bullæ publicationem urgere per-
 „gat, & Regia quoque sua Majestas
 „ab iisdem Ministris interpellata, ut
 „suæ

„suæ Sanctitatis desiderio satis fiat, Sæc. XVII,
 „datis ad Sereniss. suam Celsitudinem A. C. 1652.
 „literis, ab eaque nobis cum speciali
 „mandato in hunc finem insinuatis,
 „quam primum promulgandam esse de-
 „creverit, hinc est, quod suæ Sancti-
 „tati, ac Regiæ Majestati Serenissimæ-
 „que Celsitudini humiliter obsequentes,
 „& officii Curiae nostræ Archiepiscopa-
 „lis Procuratori, aliisque, ad quos id
 „pertinet, mandamus, ut dictam Bul-
 „lam locis, ac more consuetis, die pri-
 „ma Aprilis a Serenissima sua Cellitu-
 „dine designata, rite promulgent. Ac
 „insuper in virtute S. Obedientiæ serio
 „præcipimus omnibus jurisdictioni no-
 „stræ subiectis, cujuscumque Ordinis,
 „Dignitatis & Conditionis existant, ne
 „una pars alteram in scholis, pulpitis
 „& concionibus, dicteriis, scommati-
 „bus, aut censuris perstringat, sub pœ-
 „na excommunicationis, aliisque arbi-
 „trio nostro infligendis. Ne vero hujus
 „publicationis prætextu scandala supra
 „commemorata sinistris aliquorum in-
 „terpretationibus accendantur, monen-
 „dos esse duximus omnes & singulos,
 „certo constare Sanctitatis suæ mentem
 „nequaquam esse, ut per hanc publica-
 „tionem authoritati doctrinæ S. Augu-
 „stini quidquam detractum esse intelli-
 „gatur, sed & Regiam suam Majesta-
 „tem

Sæc. XVII. „tem præfatis suis literis, ac etiam Se-
A. C. 1651. „reniss. suam Celsitudinem iis, quas ad
 „nos dedit, diserte mandare, ne ha-
 „rum contentionum occasione auctori-
 „tati gloriosi Doctoris S. Augustini a
 „quoquam lædi, aut aliquo modo de-
 „primi toleretur, sed ejus ac aliorum
 „sanctorum Patrum honor, quem sem-
 „per in Ecclesia obtinuerunt, integer
 „atque illibatus conservetur. Deinde
 „Regiam suam Majestatem hoc am-
 „plius voluisse, ut honori & existima-
 „tioni Reverendissimi Jansenii consula-
 „tur; adeoque post Bullæ promulgatio-
 „nem & obedientiam suæ Sanctitati
 „præstitam, apud eandem se per Le-
 „gatum suum intercessuram, ut dictus
 „Jansenii liber penitus examinetur, ac
 „si quis in eo reperiatur error, expun-
 „gatur, ut deinde imprimi ac vulgari
 „possit; quomodo sua Majestas cum a-
 „liorum magnorum virorum scriptis
 „actum esse observat. Denique & il-
 „lud expresse velle Serenissimam suam
 „Celsitudinem, ne dicta publicatione
 „juribus, privilegiis, ac inveteratis ha-
 „rum Provinciarum consuetudinibus
 „ullum præjudicium inferatur.

§. CVIII.

*Tria hæc edicta a S. Inquisitione Ro-
 mana proscripta.*

Quo-

Quoniam vero Sacra Congregatio Ge- Sæc. XVII.
 neralis, ac Universalis Inquisitionis A. C. 1651.
 in hisce tribus edictis plura S. Sedis
 Apostolicæ auctoritati noxia contineri
 censeret, hinc habito confesso coram
 summo Pontifice die undecima Maij
 eadem hæc edicta unacum libello, cui
 titulus: *Rationes, ob quas Mechliniensis*
Episcopus a promulgatione Bullæ contra
Jansenium abstinuit, proscripta fuere, e-
 dicto desuper hoc edito: *Cum ad au-*
res Sanctissimi D. N. Innocentii Papæ X.
pervenisset in lucem prodisse præsentem li-
bellum, necnon tria edicta, in his autem li-
bellis & edictis multa contineri auctoritati
Sanctæ Sedis Apostolicæ præjudicialia,
Sanctitas sua prædictos libellos, & edicta
in præfata Sacra Congregatione examinari
mandavit. In qua mature ac diligenter in
eis contentis consideratis & perpensis, au-
ditisque super præmissis, votis DD. Cardi-
nalium, Sanctitas sua tam libellos, quam
edicta prædicta prohibenda censuit, prout
præsenti Decreto damnat, & prohibet, &
pro damnatis ac prohibitis haberi vult &
mandat. Ac nisi eorum authores quamprimum
se se purgaverint, censuris ac pænis
Ecclesiasticis intelligant se omnino coercen-
dos. Jubet autem, quod nullus deinceps
cujuscunque gradus & conditionis existat,
sub pænis in Sacro Concilio Tridentino, &
indice librorum prohibitorum contentis, a-
liisque

Sæc. XVII. *lisque arbitrio Sanctitatis suæ infligendis,*
 A. C. 1651. *supradictos libellos, & edicta audeat quo-*
cumque idiomate imprimere, vel imprimi
curare, legere, vel apud se retinere, &c.

Hoc S. Inquisitionis decretum die decima sexta Junii tam Archiepiscopo Mechliniensi, quam Gandavensi Episcopo fuit insinuatam, nihilominus tamen nec hic nec ille se purgare, satagebant: quocirca Innocentius X. die decima octava Novembris u. rumque in Romana Curia comparere jussit, transmissio ad eos sequenti decreto: „Cum „summus Pontifex nupero decreto man- „darit, ac voluerit, ut nisi horum li- „brorum edictorumque Authores quam- „primum sese expurgarent, censuris ac „pœnis Ecclesiasticis, intelligant sese „omnino coercendos, prout latius in „dicto Decreto continetur, cumque De- „cretum prædictum Jacobo Archiepi- „scopo Mechliniensi sub die decima sexta „mensis Junii proxime præteriti, An- „tonio vero Episcopo Gandensi intra „prædictum mensem Junii fuerit legi- „time præsentatum ac intimatum, præ- „dictique Jacobus Archiepiscopus, & „Antonius Episcopus ut supra, iisque „ad præsentem diem nullatenus, ut „par erat, sese expurgaverint, sed in „dies ejusdem Sanctissimi D. N. Mau- „datis rebelles ac contumaces existant,
 „San-

„Sanctitas sua ut hujusmodi contuma- Sæc. XVII.
 „scia, quæ in scandalum Christi Fide- A. C. 1651.
 „lium, & Ecclesiæ Catholicæ vergit,
 „debitis pœnis mulctetur & coerceatur,
 „re mature cum nonnullis S. R. E. Car-
 „dinalibus ad id specialiter deputatis,
 „discussa, auditisque eorum votis, ei-
 „dem Jacobo Archiepiscopo Mechli-
 „nensi, & Antonio Episcopo Ganda-
 „vensi, ac eorum cuilibet mandat ac
 „præcipit, ut infra sex menses prox-
 „imos a die intimationis ac notificatio-
 „nis Præsentium computandos, quo-
 „rum duos pro primo, duos pro secun-
 „do, & reliquos duos pro ultimo, &
 „peremptorio termino eis assignat, com-
 „parere debeant, & quilibet ipsorum
 „comparere debeat coram Sanctitate
 „sua, & sancta Sede Apostolica perso-
 „naliter, & non per Procuratorem, seu
 „excusatorem, vel aliam interpositam
 „personam ad sese purgandum de con-
 „tentis in libellis & edictis prædictis
 „respectivè. Alias dicto termino ela-
 „pso, ex nunc prout ex tunc, eadem
 „Sanctitas sua prædictum Jacobum Ar-
 „chiepiscopum Mechliniensem, & An-
 „tonium Episcopum Gandavensem, ac
 „eorum quemlibet ab ingressu Ecclesiæ,
 „exercitio Pontificalium, ac officio su-
 „spendit, ac interdicit, & pro suspensis, ac
 „inter-

Sæc. XVII. „interdictis haberi vult, nullo in præ-
 „A.C. 1651. „missis privilegio suffragante. Voluit
 „insuper, & decrevit Sanctitas sua,
 „quod præsentis dictis, Jacobo Archi-
 „episcopo, & Antonio Episcopo, per-
 „sonaliter, si ipsorum præsentis com-
 „mode haberi potuerint, sin autem
 „domi eorum solitæ habitationis, di-
 „missa earundem præsentium copia,
 „vel si ad eas tutus non paruerit ac-
 „cessus, per affixionem ad valvas Ma-
 „joris Ecclesiæ Civitatum Mechlinien-
 „sis, Bruxellensis & Gandavensis re-
 „spective intimentur, ac notificentur,
 „& sic præsentatæ ac intimatæ perinde
 „arctent, & afficiant eosdem Jacobum
 „Archiepiscopum & Antonium Episco-
 „pum, & eorum quemlibet, ac si eis
 „personaliter præsentatæ & intimatæ
 „fuissent.,

Decretum vero suspensionis in Ar-
 chiepiscopum Mechliniensem, & Gan-
 davensem Episcopum die vigesima pri-
 ma Decembris anno sequenti latæ e-
 rat hujus tenoris.

„In Dei Nomine, Amen. Cunctis
 „ubique pateat evidenter, & sit notum,
 „quod anno a Nativitate D. N. Jesu
 „Christi millesimo sexcentesimo quin-
 „quagesimo secundo Indictione quinta
 „die vero decima nona Decembris de
 „mane, Pontificatus autem sanctissimi

„in Christo Patris & D. N. D. Innocen-^{Sæc. XVII.}
 „tiii Divina Providentia Papæ X. anno A. C. 1651.
 „ejus nono, fuit per Sanctitatem suam
 „promulgata infra scripta sententia te-
 „noris sequentis videlicet. Innocentius
 „Papa X. Christi nomine invocato. Per
 „hanc nostram declaratoriam senten-
 „tiam, quam auditis votis non nullo-
 „rum venerabilium fratrum nostrorum
 „S. R. E. Cardinalium ad id specialiter
 „deputatorum ferimus in his scriptis,
 „pronuntiamus, sententiamus, dici-
 „mus, & declaramus Jacobum Archi-
 „episcopum Mechliniensem, & Anto-
 „nium Episcopum Gandavensem ob non
 „paritionem præcepti ad comparandum
 „per Procuratorem coram nobis, & ab
 „objectis sese repurgandum infra ter-
 „minum in eodem præcepto præscri-
 „ptum, prout in actis Decreti legitime
 „executi, & in actis reprodukti, inci-
 „disse, & incurrisse damnabiliter in
 „pœnas interdicti ab ingressu Ecclesiæ,
 „suspensionis ab officio, & exercitio
 „Pontificalium, & alias pœnas in eo-
 „dem præcepto contentas, literasque
 „declaratorias desuper opportunas, ac
 „publice affigendas in locis, ubi opus
 „fuerit, decernendas & relaxandas fore
 „& esse, prout decernimus, relaxa-
 „mus, & affigi mandamus. & ita pro-
 „nuntiamus, sententiamus, declara-
 „mus,

„mus,

Sæc. XVII. „mus, suspendimus, interdicimus, &
 A. C. 1651. „affigi mandamus.„

Hoc decretum valvis Ecclesiæ ad S. Gudulam fuit affixum, Senatus tamen Brabantinus illud detrahi & lacerari die duodecima Majj anno hujus sæculi quinquagesimo tertio præcepit, ac utrique Episcopo inhibuit, ne Romæ comparerent, eoquod ex veteri privilegio à Sede Apostolica approbato nullus Belgii subditus extra patriam in jus vocari posset, aliunde vero hoc decretum absque Regio beneplacito fuisset promulgatum. Hoc comperto Leopoldus Archidux confestim die vigesima secunda ejusdem Mensis ad Senatum has dedit literas: „Audio, quod
 „Senatus Brabantinus constituerit cras
 „mane die Veneris in præsentia trium
 „aut quatuor Consiliariorum lacerare
 „affixionem factam ad valvas Ecclesiæ
 „sanctæ Gudulæ, & declarare illam
 „pro libello diffamatorio, & cum hoc
 „ipsis per Cancellarium inhibuerim,
 „ipseque non adsit, tibi tanquam Sen-
 „niori injungere volui, ut toti Consi-
 „lio nomine meo indices, ne procedant
 „ad talem executionem, donec ulterius
 „me resolvam in isto negotio. Non
 „dubito, quod Consilium obediet, ne-
 „que credere possum, quod ipsi in casu
 „inobedienciæ me velint provocare ad
 „de-

„demonstrationem magis rigidam con- Sæc. XVII.
tra ipsos.,, A. C. 1651.

Insuper ad Gandavensem Episcopum die decima octava Julii idem Archidux dedit literas, quibus eum hortabatur, ut Pontificis, Regisque mandato pare- ret, & a censuris absolvi, a Papæ pe- teret. Paruit Episcopus utriusque jus- sis, unde die vigesima tertia Septem- bris anno hujus sæculi quinquagesimo tertio a censuris solutus est.

§. CIX.

Congregatio Cardinalium a summo Pontifice instituta pro discutienda Jansenii causa.

Interim summus Pontifex Gallorum Præsulum querelis excitatus, die duodecima Aprilis, ut mota in Galliis controversia circa Jansenii doctrinam discuteretur, Congregationem instituit, illiusque Commissarios nominavit Ro- mam, Spadam, Ginettum, Cechinum, Chiggium & Pamphilium Cardinales: His Albizius S. Officii Assessor a secre- tis erat. Prima habebatur Sessio die vigesima ejusdem Mensis in Romæ Car- dinalis Decani Palatio, ubi præprimis ex Sacri Officii Tabulario in cuncta, quæ olim in causa Michaelis Baij agi- tata fuissent, inquisitum, hujusque Au- thoris

*Hist. des
cinq. Prop.
l. 1. p. 13.
Diar. San-
tamor. p. 3.
cap. 4.
Jansenism.
Hist. Brev.
Ciacon. in
vita Inno-
cent. X.*

Hist. Eccles. Tom. LXI. Ccc

Sæc. XVII. thoris dogmata cum Janfenii propo-
 A. C. 1651. tionibus sedulo collata fuere: Dudum
 hoc negotium ultro citroque agitaba-
 tur; Interim vero Santamoreus juvenis
 Sorbonæ Doctor unacum quodam No-
 bili sub specioso Anni Sacri obtentu Ro-
 mam venit, ac inde Genuam appulsus,
 Mense Junio ab undecim Franciæ Epi-
 scopis subscriptas accepit literas, quas
 ipse tanquam eorum Legatus, comi-
 tantibus eum Brusleo & Lalana Facul-
 tatis Parisinæ Doctoribus, summo Pon-
 tifici tradere jubebatur: Erat autem
 hujus epistolæ summa hæc: „Intellexi-
 „mus, quosdam e Confratribus nostris
 „literas direxisse ad vestram Sanctita-
 „tem circa arduum, maximique mo-
 „menti negotium, petimus autem, ut
 „clare decidantur quædam propositio-
 „nes, quæ postremis hisce annis gra-
 „ves tumultus Parisiis in Facultate
 „Theologica excitarunt: nec id mirum,
 „cum enim hæc propositiones ad libi-
 „tum conceptæ & ambiguè verbis con-
 „cinnatæ fuerint, ex diversa earum in-
 „terpretatione acerrimas contentiones
 „fuisse exortas, necesse est: Salva igitur
 „Confratrum nostrorum venia no-
 „bis declarare liceat, quod eorum mo-
 „litiones hac in re approbare non va-
 „leamus; præterquam enim, quod quæ-
 „stiones de gratia & Prædestinatione
 „divi-

„divina sint plenæ difficultatibus, ma- Sæc. XVII.
 „gnæque animorum æstu & contentio- A. C. 1651.
 „ne agitari soleant, insuper incongrua
 „videtur esse præsens temporis vicissi-
 „tudo, illas definiendi, nisi Sanctitas
 „vestra velit procedere juxta normam
 „apud SS. Patres usitatam, proin re-
 „petere negotium a prima origine, il-
 „ludque penitus de novo examinare,
 „partes accersere & audire, prout Cle-
 „mens VIII. & Paulus V. fecerunt. Se-
 „cus enim, quos damnari contigerit,
 „jure conquesturi sint, se non fuisse
 „auditos & per calumnias Adversario-
 „rum circumventos, addituros fortasse,
 „hanc causam ad Sedem Apostolicam
 „fuisse delatam, priusquam judicata
 „fuisset in Concilio Episcoporum, con-
 „tra usitatum Ecclesiæ morem. Pro-
 „stant exempla Concilii Alexandrini in
 „caussa Arii, Constantinopolitani con-
 „tra Eutychem, Carthaginensis, &
 „Milevitani adversus Pelagium, aliaque
 „Concilia primum ab Episcopis contra
 „alios hæreticos celebrata. Profecto,
 „si examinandæ ac decidendæ forent
 „hæ propositiones, ordo legitimus ju-
 „dicatorum Ecclesiæ Universalis, & con-
 „suetudo Ecclesiæ Gallicanæ exigeret,
 „ut graves controversiæ prius discute-
 „rentur in locis, ubi sunt ortæ & agi-
 „tatæ: Disquirendum lento & maturo
 „judi-

Sæc. XVII. „judicio, an non propositiones Sancti-
 A. C. 1651. „tati vestræ exhibitæ sint conceptæ pro-
 „libitu, & concipientium arbitrio, eo
 „fine, ut quædam Personæ reddantur
 „odiosæ, & excitentur tumultus: pro-
 „be insuper examinandum, quibus in
 „locis, per quos Authores, & in quo
 „sensu prodierint, audiendæ utrinque
 „partes, inspiciendi omnes libri circa
 „ejusmodi propositiones editi, distin-
 „guendi veri sensus a falsis, & ambi-
 „guis, informandi denique Episcopi
 „de omnibus, quæ hac in re ab origi-
 „ne disputationum acta sunt, & tunc
 „demum ad Sacram Sedem, quæ a no-
 „bis decreta sunt, referenda, & Ro-
 „mæ confirmanda. Si autem res a no-
 „bis nondum discussa ad Sacram Se-
 „dem refertur, variis artibus veritas
 „opprimi, Præsules & Doctores calum-
 „niis denigrari, Sacra Sedes in tam gravi
 „fidei negotio fraudibus circumveniri
 „poterit. Præterea illi, in quorum fa-
 „vorem Episcopi ad Sanctitatem vestram
 „perscripserunt, pertinaciter defendunt,
 „quod Scholasticorum recentiorum po-
 „tissimi eorum opinioni adhæreant,
 „eorumque doctrina sit maxime consona
 „Divinæ bonitati, & æquitati naturali.
 „Econtrario sancti Augustini Discipuli
 „palam declarant, quod eorum Doctri-
 „na non sit dubia, sed D. Augustini
 „SS.

„SS Patrum effatis consona, ac dudum Sæc. XVII.
 „definita a Conciliis & Pontificibus, A C. 1651.
 „præcipue Synodo Tridentina. Aver-
 „tat igitur Deus, ne existimatio Sacræ
 „Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ Romanæ
 „exponatur hæreticorum despectui, qui
 „cunctas actiones illius observant. Igi-
 „tur Sanctitas sua benigne annuat,
 „ut aut hæc tanti ponderis disputatio,
 „absque Ecclesiæ Catholicæ labe, per
 „tot sæcula agitata adhucdum aliquam-
 „diu perduret, aut omnes hæ quæstio-
 „nes, secundum tamen legitimum judi-
 „ciorum tenorem decidantur, &c. „
 His literis subscripti legebantur tres
 Archiepiscopi Senonensis, Embrodu-
 nensis, & Aurelianensis, necnon octo
 Episcopi, Ageanensis, Convenensis,
 Valentianus, Papulienis, Cabillonensis,
 Ambianensis, Bellovacensis & Ande-
 gavenis, quibus postea accesserunt
 tres alii: Die autem decima Julii Santamoreus hanc epistolam summo Pontifici exhibuit, inter alia dicens, quod quinque propositiones essent ambiguæ, sensumque hæreticum a nemine propugnatum, simulque sensum Catholicum ab Adversariis impugnatum paterentur, iidem vero adversarii sub obtentu sensus hæretici unice intenderent obtinere censuram, quam postea sensui Catholico applicare valerent: Ad hæc

Ccc 3 vero

Sæc. XVII. vero respondit Pontifex, „si propositiones
A. C. 1651. „hæ continentur proscriptæ in Bulla Pii
 „V. & Urbani VIII. immerito hæ Bullæ,
 „utpote non ita pridem post maturum e-
 „xamen emanatæ, in dubium vocantur,
 „si vero præfatæ assertiones quid novi
 „continent, illud accurato & maturo
 „examine subjiçiat, „mox vero ad
 hæc reposit Santamoreus, quod Ur-
 bani VIII. Bulla per Archiepiscopum Pa-
 risiensem sit quidem recepta & promul-
 gata, in ea tamen ex quinque hisce
 propositionibus nulla contineretur.

Dimisso demum Santamoreo sum-
 mus Pontifex nominatis Cardinalibus
 adhuc tredecim Theologos, tum Ro-
 mæ fama doctrinæ celeberrimos ad-
 junxit, & quidem ex Ordine Fratrum
 Prædicatorum Vincentium S. Palatii
 Magistrum, & Vincentium de Pretis
 S. Officii Commissarium, ex Ordine FF.
 Augustinianorum, P. Viscontium Ge-
 neralem, & Cælestinum Bruni, nec-
 non P. Raphaelem Averfam Presbyte-
 rorum Regularium Generalem, P. Mo-
 destum de Ferraria Ord. FF. Minorum
 Generalem & P. Lucam Wadingum
 unacum P. Marco Carpineto Procura-
 tore Generali FF. Capuccinorum, ex
 Carmelitis autem P. Joannem Augu-
 stinum a Nativitate, alias Tartaglia
 dictum & P. Dominicum Campanella
 postea

postea Episcopum S. Agathæ Gotho-^{Sæc. XVII.}
rum in Regno Neapolitano præter ^{A. C. 1651.}
PP. Angelum Mariam Ciria Servitam,
Del Bene Theatinum, & Sforziam Pal-
lavicinum Jesuitam postmodum Car-
dinalem.

§. CX.

*Hybarnorum expostulatio adversus
Univerſitatis Parisinæ Re-
ctorem.*

Cum Janſenii dogmata Parisiis a non ^{Argentre}
paucis paſſim palamque propugna- ^{l. c. p. 60.}
rentur, Mauritius Durcan Hybarni
Collegii Præfectus, Richardus Nugent
Cluanenſis Eccleſiæ Decanus, Nico-
laus Poërus, aliique numero viginti
quatuor Hybarni Doctores & Bacca-
laurei sæpius in Collegio piorum, ut
vocant, puerorum convenerunt, ac
ſuadente S. Vincentio a Paulo Miſſio-
nariorum Generali & præfati Collegii
Præfecto in cubiculo dicti Poëri pro-
miſerunt, ſe doctrinam Janſenii nun-
quam docturos, prædicaturos, aut rudi
plebi in Catechiſmo propoſituros, nec
ullas propoſitiones a Concilio ſœcumen-
nicis, & Decretis ſummorum Pontifi-
cum quomodolibet damnatas, & no-
minatim quinque famoſas propoſitio-
nes ex Janſenii libro a Corneto Syn-

Ccc 4

dico

Sæc. XVII. dico extractas nunquam amplexuros.
A. C. 1651. Hanc in rem iidem sequentem mentis
 suæ declarationem a cunctis Hyber-
 nis subscribendam concepere: Cum
 nova dogmata his calamitosissimis tem-
 poribus a quibusdam doceantur, prædican-
 tur, typis mandentur, in colloquiis fami-
 liaribus misceantur, & denique, quod pe-
 jus est, in Catechismis rudi & incautæ plebi
 proponantur cum summa animorum dissen-
 sione, periculumque sit, ne aliqui ex Hy-
 bernis, qui Parisiis majori numero student,
 quam in ulla totius orbis civitate, his do-
 gmatibus imbuantur, quæ in patriam no-
 stram Hyberniam fidei avitæque religioni,
 tenacissimam reduces, disseminare, ac incau-
 torum animis instillare conarentur, sicque
 Ecclesiam Hybernicam a centum annis &
 amplius Hæreticorum insultibus, ac vehe-
 mentissimis persecutionibus nimis afflictam,
 & a decennio, crudeli ac periculoso bello
 agitatam perturbarent. Nos infra scripti
 huic periculo mature pro viribus occurrere
 proponentes, firmiter statuimus, promitti-
 musque, nos semper adhæsuros universis
 Conciliis Oecumenicis, ac præsertim Tri-
 dentino, necnon omnibus decretis ac censu-
 ris summorum Pontificum, nominatimque
 iis, quæ latæ sunt a Pio V. Gregorio XIII.
 Urbano VIII. & Innocentio X. contra
 Bajum, Jansenium, eorumque sequaces.
 Insuper promittimus nunquam nos ex animi
 sen-

sententia, privatim aut publice defensuros, Sæc. XVII. docturos, prædicaturos, multoque minus A. C. 1651. in Catechismo plebi proposituros ullas propositiones de errore aut hæresi suspectas, aut quomodolibet a quovis summo Pontifice damnatas.

Postea subjungere notas quinque Jansenii propositiones.

§. CXI.

Reſtoris decretum adverſus Hybernos.

Postquam vero Universitatis Parisinæ Rector de hac Hybernorum sensione edoctus fuerat, confestim die quarta Martii in comitiis exposuit, quod nonnulli Hyberni a paucis mensibus sæpe congregentur in Collegio bonorum (ut vocant) puerorum, Præsidente uno ex Missionariis, & eorundem Hybernorum aliquos nuper inductos esse in cubiculum Magistri Nicolai Poëri Hyberni Baccalaurei Theologi & Philosophiæ Professoris in Gymnasio Lexoviensi, ut illic de nonnullis quæstionibus in materia gratiæ statuerent.

Ipse autem statim illis significari jufferit, ut abstinerent ab ejusmodi conventiculis, & ab omni judicio doctrinali: ad hæc Hiberni quidem parere, crediti fuerint, eoquod statim e præ-

Sæc. XVII. A.C. 1651 fato cubili discesserint, sed paulopost
 ostiatim iverint ad singulos, & unicuique clanculum proposita tria aut quatuor subsignanda exemplaria declarationis suæ obtulerint, ac insuper Hybernorum unumquemque privatim cæni arte sollicitarint, ut prædictæ declarationi subscriberet, tandemque effecerint, ut subscriperint aliqui numero circiter viginti sex, quorum unus tantum Doctor seu Theologus Parisiensis, duo Baccalaurei, duo Magistri in artibus, cæteri nullius gradus & nominis in Academia, quorum alii vix Philosophiam salutaverint, alii vix Grammaticam.

Cum autem, prosequeretur Rector, plurimum interit Universitatis, arcere a Gymnasiis suis conventicula ejusmodi, atque in eos animadvertere, qui contra, quod fuerat prohibitum, in doctrinæ causa sine ulla autoritate statuerent ausi sint, præsertim vero de propositionibus in ea declaratione contentis, de quibus sacræ Theologiæ Facultas tametsi deliberationi suæ ante octodecim menses propositis, nihil decreverit, neque Illustrissimus Parisiorum Archiepiscopus, neque Augustissimus, qui etiamnum Parisiis sedet, suaque habet comitia, Clerus Galliarum de iisdem propositionibus quicquam defini-

nierint, aliunde vero constet quædam Sæc. XVII.
 in præfata declaratione contineri, qui- A.C. 1651.
 bus Academiæ Parisiensis autoritas, ac
 Regni & Ecclesiæ Gallicanæ jura &
 privilegia maxime lædi viderentur, hinc
 jure ejusmodi ausibus obviam eundum
 est. Postremo dixit, Academicos qua-
 tuor, qui subscripserant, adesse jussos,
 ut de re tota audirentur, exemplaria-
 que omnia declarationis a se subscriptæ
 repræsentarent. Placuit igitur primum
 audiri illos, quibus admittis, perlecta
 est prædicta declaratio, fassique sunt,
 se illi subscripsisse privatim, & absque
 ullo prævio examine communi, & sub-
 scripsisse tribus quidem aut quatuor il-
 lius exemplaribus, quorum nullum pe-
 nes se superesset, sed illorum unum
 traditum Magistro Vincentio a Paulo
 Missionariorum Generali & supradicti
 Collegii bonorum puerorum Primario;
 paratos esse se, revocare subscriptionem
 illam suam, si ita Universitati videretur.
 Quæ omnia vere a se dici & pro-
 mitti adhibito etiam suo syngrapho con-
 firmarunt, & Rectori, necnon Decanis
 & Procuratoribus alii Hiberni Acade-
 mici & Theologi supplicem obtulerunt
 libellum, quo quidem nationis suæ no-
 mine vehementer obtestabantur, uti ne
 universæ genti suæ imputaretur pauco-
 rum factum & temeritas, quorum alios
ob

Sæc. XVII ob incitiam deceptos, alios ab Academia adversariis seductos fuisse dicebant, postulabantque, ut placeret Universitati diligenter occurrere huic paucorum malo, quo quidem Charitas fraterna dissolvitur, inuriturque nota, quasi omnes consenserint in paucorum illorum culpam, qui contra Ecclesiæ Gallicanæ & Regni jura id ausi sint. Perlecto hoc libello supplici subjunxit Rector, quod auditi sint plures Hyberni Theologi, quorum aliqui declararint, Jesuitas duos religiosissime pollicitos fuisse Hybernis aliquam domum, si prædictæ declarationi subscriberent, factam etiam spem foundationis ab aliquo viro, & sacerdotiorum seu beneficiorum Ecclesiasticorum a prædicto Magistro Vincentio a Paulo Missionariorum Generali.

His ita a Rectore expositis, re in maturam deliberationem vocata, censuerunt omnes unanimi consensu, neminem, qui privatæ sit autoritatis, posse in doctrinæ causa decernere, proptereaque factum esse temere & insolenter ab istis paucis & privatis hominibus nullius autoritatis, & maximam partem nullius doctrinæ & nullius gradus in Academia, qui contra quam prohibitum illis fuerat ab amplissimo Domino Rectore, doctrinale sibi judicium arrogare ausi sint de prædictis quæstionibus
statue-

statuere, de quibus nec sacræ Theolo-
giæ Facultas, nec illustrissimus Pari-
siorum Archiepiscopus, nec augustissi-
mus Galliarum Clerus quicquam defi-
nierint: „quocirca edebatur decretum
hujus tenoris: „Universitas declara-
tionem istam damnat, & abrogat, eam-
que irritam esse vult & nullam, ju-
dicat eam autoritati suæ adversam, ac
moribus & juribus Regni & Ecclesiæ
Gallicanæ contrariam, jubetque exem-
plaria illius omnia ubicunque subscri-
pta occurrerint, ad amplissimum Re-
ctorem afferri & aboleri, Academicos,
qui prædictæ declarationi subscripse-
runt, omni Academiæ gradu, jure &
privilegio dejici: cæteros vero omni
spe & aditu graduum excludi, & ex
Gymnasiis omnibus expelli, nisi in-
tra diem octavum post intimatum hoc
decretum subscriptionem illam suam
scripto & syngrapho apud scribam Uni-
versitatis revocaverint, quo exacto
tempore, nullam spem futuram veniæ
contumacibus sciant. Vetat insuper
Universitas, ne illi aut alii in Acade-
mia simile aliquid privata autoritate
posthac ullatenus audeant: alioquin
certissimam illis ab omnibus Acade-
miæ gradibus, privilegiis, juribus, &
Gymnasiis ejectionem edicit; primo
quoque tempore significandum decre-
tum

Sæc. XVII.
A. C. 1651.

Sæc. XVII. „tum hoc censet omnibus Gymnasiar-
A. C. 1651. „chis & aliis, quorum intererit. „

§. CXII.

*Hybernorum querelæ contra Rectoris
 sententiam.*

*Argentre
 l. c. p. 60.*

Hanc Rectoris, ceterorumque Docto-
 rum sententiam ægerrime ferebant
 Hyberni, quorum nomine die prima
 Aprilis Nicolaus Poerus, & Thomas
 Medus prima Doctoratus laurea insigniti
 in Facultatis Theologicæ comitiis de
 injuria ac pœna a Rectore irrogata ve-
 hementer querebantur, declarantes,
 quod sibi nec doctrinale judicium de
 quibusdam propositionibus arrogarent,
 nec de iis statuere & definire ausi fu-
 isent. Prædictus autem Poërus suo &
 aliorum nomine dixit, se nec doctri-
 nale ullum judicium tulisse, nec sta-
 tuere, aut definire quicquam voluisse
 de propositionibus ullis, idque coram
 Notariis Regiis die vigesima secunda
 Martii professi essent ad calcem Exem-
 plaris prædictarum propositionum a sin-
 gulis Hybernis prædictis subsignati, ni-
 hilque aut potestatis, aut auctoritatis
 ad definiendum, statuendum, aut ju-
 dicium doctrinale ferendum se habere
 declararint, & professi sint, sed tantum
 sibi invicem promiserint, se doctrinam
 Jan-

Jansenii nunquam docturos, prædica-
 turos, rudi plebi in catechismo pro-
 posituros, nec ullas propositiones a Con-
 ciliis Oecumenicis, aut Decretis sum-
 morum Pontificum quomodolibet dam-
 natas, & nominatim eas, quæ in suo
 exemplari continentur, defensuros, quod
 quidem privatum fuerit, non publicum,
 nunquam evulgandum, nisi illud amplif-
 simus Dominus Rector suo illo decreto
 evulgasset, ac in lucem edidisset. In-
 super addidit prædictus Poërus, non
 esse, quod quisquam inde lædi possit,
 quod promiserint, se nullas propositiones
 docturos, prædicaturos, quomo-
 dolibet a summo Pontifice damnatas,
 quoniam id non alio modo intellexe-
 rint, quam de propositionibus quavis
 censura, sive hæreseos, sive erroris, sive
 temeritatis aut falsitatis, aut alias quo-
 modolibet a Pontificibus Gregorio XIII.
 Pio V. & Urbano VIII. damnatas, in
 quibus omnibus prædicti Hyberni nul-
 la in re se peccasse dixerunt. Quod si
 quidpiam peccaverint, Facultatis ju-
 dicio corrigendos se libenter submit-
 tant. Quantum autem intersit Facul-
 tatis prædictum decretum, & quam
 durum sit autoritate Domini Rectoris
 prædictos Baccalaureos, & alios inno-
 centes tanquam nocentes a gremio Fa-
 cultatis avelli, judicandum Facultati
 relin-

Sæc. XVII.
 A. C. 1651.

Sæc. XVII. relinquunt, eaque de causa coacti es-
A. C. 1651. sent provocare ad Senatum, qui sua
 sententia die vigesima quarta Martii
 prohibuisset, ne prædictum decretum ex-
 cutioni demandaretur, donec aliter
 Senatus statuerit. Qua in causa ut
 prædictis Hybernis patrocinium exhi-
 bere sacra Facultas dignaretur, humi-
 liter supplicaverunt.

Idem, quod ambo hi Doctores Fa-
 cultati exposuerant, decem alii Hyber-
 ni sequenti declaratione subscripta con-
 firmarunt: „quod nunquam nos publice
 „defensuros, docturos, multoque mi-
 „nus catechismo plebi proposituros ul-
 „las propositiones de errore aut hæresi
 „suspectas, aut quomodolibet a quovis
 „summo Pontifice damnatas, polliciti
 „simus, declaramus nos hic intellexisse
 „& intelligere, quod propositiones qua-
 „cunque censura, sive nota hæreseos,
 „sive erroris, sive falsitatis aut temeri-
 „tatis damnatas, nunquam docturi aut
 „defensuri simus.,,

Postquam Nicolaus Poërus suam
 orationem absolverat, mox Jacobus
 San-Beuveus Magister eundem inter-
 pellabat, postulans, ut declararet, qui-
 nam sint illi Academiæ Parisiensis Pro-
 fessores, qui nova & perniciofa dogmata
 docerent, eaque potissimum, quæ ab
 Hybernis proscripta fuerint: cum vero
 præsa-

præfatus Poërus omnino taceret, seque, Sæc. XVII.
 ne responderet, ab aliquibus prohibi- A. C. 1651.
 tum, imo ab iis ex comitiis abire com-
 pulsum diceret, San-Beuveus hæc ad
 acta referri petiit, atque Hallierum Fa-
 cultatis Syndicum increpuit, eoquod
 Poëro tacente ipse dixisset hæc verba:
respondebit ex consilio. His auditis Syn-
 dicus exposuit, sibi visum fuisse, jura
 Facultatis lædi illo decreto amplissimi
 Domini Rectoris, atque ideo in comi-
 tiis generalibus Mathurinensibus die vi-
 gesima prima Martii, in quibus Rector
 orationem habuit adversus Hybernos,
 decretumque illud laudavit, & petiit
 illius confirmationem, voluisse univer-
 sæ Academiæ proponere, quantum hu-
 jusmodi decreto Facultas Theologiæ
 læderetur; ac idcirco ut audiretur po-
 stulasse, antequam Facultates delibe-
 rarent de confirmatione aut infirmatio-
 ne prædicti decreti; sed clamantium &
 occurrentium multitudine impeditum
 fuisse, quominus audiretur, ita ut præ-
 dictus Dominus Rector discesserit sine
 confirmatione facta ab ulla generalium
 comitiorum Facultate, contra morem
 omnem & consuetudinem. Qua in re Fa-
 cultati Theologiæ injuriam maximam
 illatam esse conquestus est. Subdidit
 autem, se in animo habuisse coram to-
 ta Universitate proponere; neque ex-
Hist. Eccles. Tom. LXI. Ddd traor-

Sæc. XVII. A. C. 1651. traordinarium negotium quodvis ex illis privatis comitiis, quæ haberentur in privato cubiculo amplissimi Domini Rectoris, vocatis solum quibusdam Facultatis Decanis, & Procuratoribus nationum concludi jure potuisse, neque amplissimo Domino Rectori inconsulta Facultate Theologica, Doctorem in Theologia, vel Baccalaureos omni gradu Academiæ, & eos, qui nondum gradum adepti sunt, omni spe gradus obtinendi dejicere, & ex Gymnasiis omnibus expellere, aliasque pœnas, quæ prædicto decreto continentur, inferre in iisdem privatis coetibus licuisse; multo minus vero potuisse illum de doctrina fidei & propositionibus Theologicis quicquam definire aut statuere, cum Theologicæ sit Facultatis doctrinale judicium pronuntiare: quod vero hoc decreto sibi doctrinale judicium potissimum arrogare, cum prædictis Decanis & Procuratoribus amplissimus Rector intenderit, non adeo videri obscurum ex variis ejusdem decreti clausulis. Ideoque cum antea in contrarium perorare sibi non fuisset permissum, scripto eidem sese opposuisse coram Notariis Regiis prædicta die vigesima prima Martii. Jam vero rogare, ut Facultas de illo decreto deliberet, sibi que ut provideat postulare.

Perce-

Percepta Syndici oratione San-Beu-
 veus subjunxit, nil Rectoris decreto
 constare, nisi quod rite factum fuerit,
 & legitime confirmatum in comitiis ge-
 neralibus Mathurinensibus, ut constare
 declaravit ex instrumento Confirmatio-
 nis subscripto a Domino Quintaine scriba
 Universitatis, quod legere se paratum
 esse dixit. Sed quia conquestus est idem
 Syndicus de iis, per quos impeditus
 fuisset, ne apud Mathurinenses perora-
 ret, dixit idem San-Beuveus, decla-
 rare se coram tota Facultate, unum se
 ex illis fuisse, qui sic illum impede-
 rint, protestatumque se fuisse, quod pa-
 tienter & gratulanter audiendus esset,
 si privato nomine loqui vellet, & quod
 tantum impediret, ne nomine ipsius
 Facultatis loqueretur, cujus se nomine
 velle loqui palam declarasset, sermone
 suo ab hac declaratione instituto: du-
 plici autem de causa se eum multis a-
 liis præpedivisse, ne loqueretur. 1. Quia
 in Universitatis comitiis Facultas loqui
 non debet. 2. Quia si quid haberet pro-
 ponendum nomine Facultatis, propo-
 nere non posset, nisi consulta Facultate,
 hanc autem adfuisse per multos Docto-
 res in iisdem comitiis Mathurinensibus
 congregatos; & tunc interpellatum
 fuisse Syndicum, ut ipse Doctorum suf-
 fragia a Prodecano ex more quæri &

Sæc. XVII.
 A. C. 1651.

Sæc. XVII. numerari procuraret, Dominum Syn-
A. C. 1651. dicum noluisse ac refugisse. Ad rem
 vero præsentem & Syndici requisitionem
 quod pertinet, se ideo urgere ipsos Hy-
 bernos de Professoribus nominandis,
 quos in sua declaratione accusabant,
 ut noscant omnes, quinam illi sint, qui
 dogmata perniciofa doceant; ne vero
 id sibi per calumniam objiciatur, de-
 clarare se, nullam ex quinque istis pro-
 positionibus docuisse. Hujus declaratio-
 nis actum petiit Amyotus, addiditque
 idem San-Beuveus ignotum esse, qui
 illas docuerit, præter unum Magistrum
 Pereyretum, qui anno Domini millesi-
 mo sexcentesimo quadragesimo quinto
 in lectionibus publicis primam, quæ est
 de impossibilitate præceptorum, ipsissimis
 terminis docuit (*). Cum vero negaf-
 set

(*) Observandum tamen, quod Pereyretus
 negarit, se hanc propositionem docuisse:
 Autor quidem libri, cui titulus: *Gratia vic-
 trix*, hanc ex lectionibus dicti Pereyreti c. 1.
 Prop. I. typis excudi curavit, truncata ta-
 men & sublesta fide, & quamvis ipse sit in-
 signis Jansenismi fautor, satis tamen vindic-
 cavit Pereyretum ab hac injuriosa accusatio-
 ne, dum p. 2. ita scribit, *hanc propositionem
 Pereyretus non eodem omnino sensu, quo Xprensus
 Episcopus, docuit, quia hic Doctor admittit, imo
 eodem loco probat, quod justis nunquam deest
 gratia ad orandum.*

set Pereyretus, hanc se docuisse, San-
 Beuveus exhibuit quaternionem, sta-
 timque Pereyretus dixit, si eam do-
 cui, revoco.

Postea idem Beuveus Syndicum ro-
 gabat, ut pro sui muneris ratione in-
 quireret de veritate vel calumnia ac-
 cusationis Hybernorum contra Profes-
 sores Academiæ, & a Facultate requi-
 reret, quod moris esset: Facultatem e-
 tiam rogavit, ut suæ hujus adversus
 Hybernos expostulationis rationem ha-
 beret, horumque omnium acta petiit.
 Eo demum negotio, ad deliberandum
 a Decano proposito, sententiam suam
 dicente Chapelasio, suo ordine, & pe-
 tente ab eodem San-Beuveo, an im-
 probaret prædictas propositiones, &
 urgente, non satis esse, quod dixisset,
 se nullam illarum docuisse aut docere,
 respondit dictus San-Beuveus, se nul-
 lam illarum docuisse iis terminis ambi-
 guis & æquivocis, ut jacent. Facul-
 tas autem audita declaratione Hyber-
 norum die vigesima secunda Martii co-
 ram Notariis Regiis, improbavit præ-
 dictum Decretum diei quartæ Martii,
 consensum quoque, si quem præbuisset in
 Comitiiis privatis apud amplissimum Re-
 ctorem illi Decreto Prodecanus Theologiæ
 revocavit. Quæ vero gesta sunt a Syndico
 die vigesima prima Martii in Comitiiis

D d d 3 gene-

Sæc. XVII.
 A. C. 1651.

Sæc. XVII. generalibus Mathurinensium, approbavit, & appellationi Hybernorum sese adjunxit Facultas.

*Abrege
chron. de
l'Hist. Eccl.
p. 459.*

Huic vero Facultatis sententiæ pro Hybernis contra Rectoris decretum pronuntiatae sese acriter opposuerunt non pauci Sorbonæ Doctores. Sub idem tempus Joannes Franciscus Gondyus Parisiensis Archiepiscopus libellum proscrispsit, quem P. Brisacierus Jesuita contra Sanctimoniales Portus Regii ediderat: pariter in Parisinis Cleri Gallicani comitiis rejectus fuit liber, cui titulus: *Monita ad Regem circa potestatem & Authoritatem Regis Gallici in temporalia bona Status Ecclesiastici*. Vehementer etiam objurgabantur Jesuitæ Masconenses, qui per suos Scholares ludicrum exhibebant spectaculum, in quo præter alia quidam juvenis foeminae habitum indutus, captum ducebat Episcopum papyraceam mytram in capite gestantem, quo significare intendebant, qualiter gratia sufficiens de auxilio efficaci triumpharet. Haud multo post Carolus Herfentus, qui jubilæi tempore Romam venerat, ibidem ad diem primam Martii in judicio comparere jubebatur, eo quod docuisset, *nostram voluntatem post Adæ lapsum adeo esse infirmam, ut gratia non adjuvante nil nisi peccare valeat, ac Sancti eo liberius magisque*
volun-

voluntarie gratiæ motum sequantur, quo Sæc. XVII.
fortior sit gratia: cum autem Herfentus A. C. 1651.
 præfixa die non comparuisset, anathe-
 mate percussus, omnique dignitate,
 honoris gradu, ac prædicandi docendi-
 que facultate exutus declarabatur.

§. CXIII.

*Carolus II. Scotiæ Rex post iteratam
 suorum cladem in Gallias
 profugus.*

Postquam Carolus II. Rex a Scotis Sio- Salmon Hist.
 nii fuerat coronatus, cum sexde- d' Angl. t. 1.
 cim armatorum millibus in Angliam
 contendit, Cronwelli copias oppressu-
 rus: Verum expugnato jamjam Edino
 Cronwelliæ validum Scotorum agmen
 fuderant, ipsumque Regem Worces-
 striam usque insequabantur, ubi com-
 misso prælio Regii tanta clade affecti
 fuere, ut Rex nonnisi quinquaginta
 Equitibus stipatus aufugere, & aliquam-
 diu in privatorum ædibus delitescere
 cogeretur, qui etiam relicta Angliâ cum
 Wilmontio Vigornium, indeque Diep-
 pam & mutato habitu Rotomagum, &
 denique Parisios venit. Cronwellus vero
 victor Londinum ingressus, ad majorem
 triumphi pompam omnes Scotos nu-
 pero prælio captos secum duxit, abo-
 litisque Regiis insigniis illa Reipublicæ

D d d 4 substi-

Sæc. XVII. substituit, ac variis in locis plures No-
A. C. 1651. biles Regiæ auctoritatis vindices extre-
 mo supplicio affici, alios in exilium,
 vel perpetuos carceres propelli, mul-
 tosque Catholicos in odium fidei truci-
 dari iussit.

§. CXIV.

Principes Galli in libertatem asserti.

Hode Hist.
de Louis
XIV. l. 13.
tom. I.

Ineunte hoc anno in Galliis non modo
 Parisina plebs, sed etiam ipsemet
 Senatus edito decreto postulabat, ut
 Principes captivi, qui interim apud
 Portum-gratiæ in custodia detineban-
 tur, libertati assererentur: Mazarinus
 vero Cardinalis, cum non modo horum
 captivitatem, sed & nuperos Parisien-
 sium tumultus ejus arrogantiae impu-
 tari haud ignoraret, relicta Lutetia con-
 volare statuit Portum-gratiæ, ut Li-
 bertatem, quam haud ultra denegare
 poterat, Principibus offerret. Hi vero
 jam aliunde de libertate decreta mo-
 niti, Mazarinum non ut liberatorem,
 sed tanquam hostem respiciebant, eo-
 que neglecto in urbem redibant, ma-
 gno omnium applausu excepti: Tum
 vero populi furor, Parlamenti indigna-
 tio, & Principum vindicta in solum Ma-
 zarinum Cardinalem velut omnis mali
 Authorem effundebatur: quapropter
 Regi-

Regina decretum vi & armis adversa-^{Sæc. XVII,}
 riorum extortum promulgari jussit, vi A. C. 1651.
 cujus Cardinalis cum omnibus, qui ei
 adessent, exteris intra dierum quindecim spatium Regno excederet: cum ergo jussis obniti non auderet, omnemque gratiæ viam sibi oclusam cerneret, noctu mutatis vestibus Parisios egressus, in Picardiam abiit, atque inde per Hispaniam ad Electorem & Archiepiscopum Coloniam fugit. Fugam sequebatur ejusdem proscriptionis solemnibus a Parlamento facta, promissis quinquaginta aureorum millibus sicario, qui Cardinalem aut vivum aut mortuum sifteret, ut vero promissas hasce pecunias Parlamentum solvere posset, locupletissimam Mazarini Bibliothecam vendi præcepit: Tum demum unius hujus Viri exilio totius populi, ac Parlamenti offensio, indeque exorta intestina universi ferme Regni dissidia fuisse sopita credebantur: solus adhuc timebatur Condæus Princeps, cujus immoderatio intemperies ut pariter sedaretur, hic cedente ultro Espernonio, Aquitanix Præfectura honorabatur; ast ejus imperium Burdigalenses præfracte detrectabant, & nisi Præfecturam deponeret, novos motus minitabantur: brevi tamen Princeps eorum animos, ac præcipue ultimam populi sæcem vi-

Sæc. XVII. no & lautitiis sibi conciliabat, seque
A. C. 1651. eo usque demittebat, quo solent, qui
 ad summa enituntur, & infima

Interim Ludovicus XIV. annum ætatis decimum quartum ingressus, ac pro more sui juris arbiterque Regni pronuntiandus, die septima Septembris, solemnī pompa Senatū accessit, & præsentibus omnium Ordinum Proceribus Reginæ Matri gratias pro administrato Regno egit, regiasque functiones obire incæpit: postea Mazari-num ex suo exilio revocavit, qui etiam cum sex armatorum millibus ad Regni confinia venit; Condæus enim & Conti-us ejus Frater illatæ injuriæ haud immemores, in Aquitania novas copias conscripsere, multisque ex Aula & Nobilitate ad suas partes pertractis bellum civile rursus adornarunt: Favit eisdem Marfinus tum Cataloniæ Prorex, qui Mazarini potentiam veritus, commissas sibi a Rege copias ad Condæum deduxit, & unacum utroque Fratre ad Hispanos defecit: unde Franciæ Regnum denuo suis seipsum viribus confecit, in novas discissum factiones: Haud infimum quoque inter hæc bella damnum rei literariæ illatum est, dum Mazarini Bibliotheca, qua nulla ferme extitit in Europa libris locupletior, Parlamenti jussu, ut memoravi-mus,

mus, divendita, atque non sine irre-
parabili Literatorum dolore & damno, Sæc. XVII.
A. C. 1651.
ac ignominia Parlamenti, fuit inter
plures distracta, cum nullus esset, qui
integram exhibito, quod petebatur,
pretio emeret.

§. CXV.

*Novum bellum inter Fridericum Gui-
lielmum Electorem Brandenburgicum
& Wolfgangum Neoburgi-
cum Ducem.*

Eodem anno, quo Ferdinandus Cæsar Brach. Hist.
Temp. l. 9.
tertiis nuptiis cum Eleonora Man-
tuana Duce, & Wolfgangus Guiliel-
mus Dux cum Francisca Fürstenbergia
Comitissa jungebantur, inter ipsas nu-
ptiales solemnitates idem Dux novo pre-
mebatur bello a Friderico Brandebur-
gico Duce: Vertebar non modo suc-
cessionis, sed & Religionis negotium
in Ducatibus Juliacensi, Cliviensi, Mon-
tensi & Marchia; postquam enim Joan-
nes Guilielmus Julix Dux sine prole
mascula anno hujus sæculi nono decef-
ferat, Wolfgangus Guilielmus Neobur-
gicus Dux cum Brandenburgico Electore
transactionem die ultima Maij Tremo-
nii iniit, vi cujus ambo ditiones istas
pari jure & consilio administrarent, do-
nec de jure cujusque aut amice trans-
actum,

Sæc. XVII. actum, aut iudicio definitum foret.
A. C. 1651. Eodem tempore pariter de Religione,
 ejusque exercitio cum utriusque par-
 tis Ordinibus Dusburgi die decima
 quarta Julii, & vigesima prima ejus-
 dem Mensis Düffeldorpii conventum,
 ut Romano-Catholica Religio, sicut
 & ceteræ sectæ in Imperio toleratæ in
 eo statu, quo tum erant, conservaren-
 tur: quamvis autem tunc temporis so-
 lius ferme Catholicæ fidei exercitium
 in illis ditionibus vigeret, nihilominus
 uterque Princeps, quorum alter Calvi-
 nianam, alter Lutheranam sectam pro-
 fitebantur, violata pactorum promisso-
 rumque fide Prædicantes partim Cal-
 vini partim Lutheri commentis infectos
 invexerunt: postquam vero Wolfgan-
 gus Dux Neoburgicus ejurata hæresi
 ad Catholicæ Ecclesiæ gremium rever-
 sus fuerat, ejectis, qui recens irreple-
 rant, hæreticis, veræ fidei exercitium,
 prout solemnibus pactis sancitum erat,
 revocavit, atque id eo confidentius,
 quia pactis nuptialibus tam Neoburgi-
 cis, quam Brandenburgicis cautum fuisset,
 ut si fors harum ditionum hære-
 ditas ad Guilielmi Ducis Filias perve-
 nerit, nihil in eis circa Religionem in-
 novaretur, sed ubique Religio Catho-
 lica retineretur: At Brandenburgici con-
 tra existimabant, nil pactis obstare, si
 salva

salva Catholicorum libertate, simul a- Sæc. XVII.
 lienæ Religionis Sectatores introduce- A. C. 1651.
 rentur, præcipue, cum a Principis di-
 gnitate alienum videatur, nullum Re-
 ligionis, quam ipse profiteretur, exerci-
 tium suis subditis permitti, cum tamen
 Religionis similitudine amor subdito-
 rum erga Principem foveatur. Hanc
 rationem Brandenburgici pro aris & fo-
 cis tuebantur, quin propterea mutua
 pacta, imo pacem Westphalicam, qua
 exercitium Religionis anni 1624. con-
 firmatur, violasse censerent, sed Pro-
 testantium sectam, dummodo id sine
 damno & injuria Catholicorum fieret,
 simul introduci posse crederent, & ta-
 men hodie dum Catholicis Principibus
 territorialibus simultaneum suæ Reli-
 gionis exercitium introducendi jus de-
 negare audent: ubi est ergo decantata
 utrinque æqualitas, ubinam tantopere
 jactitata tolerantia?

Nihilominus hac sua ratione suffulti
 Brandenburgici, postquam hæc ditio-
 nes cum Neoburgico partiti sunt, exi-
 stimatum hoc jus armis tueri decrevere,
 hancque in rem Calvinianos Belgii
 Ordines evocarunt: Hi ergo Rheinber-
 cam & Orsozam suo milite firmant, &
 furore Calvinistis innato Parochos &
 Religiosos, quotquot poterant, ex Du-
 catibus Montensi & Juliacensi captivos
 abstra-

Sæc. XVII. abstrahunt, duraque & diuturna ali-
A.C. 1651. quot annorum custodia detinent, in
 qua etiam non pauci ex carcerum squalore, & miseriarum acerbitate confecti perierunt, alii metu mortis aufugerunt: unde Catholici Religionis cultu diu destituti, infantes sine baptismo, & adulti sine Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis, non sine æternæ salutis periculo decessere: Incassum Neoburgicus minas, preces, rationum momenta, & Legationes opposuit, armatæ tamen violentiæ cedendum erat; hinc populi sui calamitates misertus, anno hujus sæculi quadragesimo septimo die octava Aprilis cum Burgstorffio Brandeburgici Camerario Düffeldorffii transegit, ut Ecclesiæ, eorumque bona iis restituerentur, qui ea Anno Christi millesimo sexcentesimo nono possedissent, & Religionis exercitium ad statum anni post Christum natum millesimi sexcentesimi duodecimi revocaretur: Hanc transactionem, licet Dusburgi ab Electore Brandeburgico confirmatam, eluserunt Brandeburgici, promiscuum Religionis usum concedi postulantes: Opponebat Neoburgicus anni normalis in pace Westphalica præscripti observantiam: Stetit tamen pro ratione sectam armis invehendi voluntas; hoc ergo anno die decima nona Julii Elector affixo Clivæ,
 cete-

ceterisque ditionibus mandato promul-
gari iussit, quod harum Provinciarum
libertatem sine Religionis respectu con-
tra Neoburgici injurias redditurus, pro
Dei gloria, patriæ salute & causæ ju-
stitia armis has ditiones invaderet,
deinceps igitur subditi Neoburgico nec
tributa, nec obsequium, fidemque præ-
starent, secus pro hostibus habendi:
Dein ductore Ottone Sparrio protinus
hostiles copias immisit, quæ primo An-
germondam arcem irrito conatu obsi-
dentes cæsis aliquot civibus & incolis
proximum vicum, vicina loca, ac Tem-
plum expilarunt, continuatoque furore
Pagos Mulchem & Pempelium, nec-
non Principis villam, agrumque Mon-
tensem depopulantes, non modo in ar-
menta & ædificia, sed in innoxios quo-
que desævierunt, infantemque, qui e
Matris suæ uberibus pendeat, truci-
darunt: Inopinam hanc invasionem
purgaturus Elector, misso ad Cæsarem
Legato graviter de Neoburgici usurpa-
tionibus, & præcipue de ejectis Luthe-
ranis & Calvinistis querebatur. Verum
Cæsar Brandenburgicum ad Westphalicæ
pacis observantiam, & ad Commissarios
ad hanc litem decidendam ante bien-
nium constitutos remittebat, simulque
Montensibus & Juliacensibus manda-
tum dabat, ut abolito Brandenburgici
edicto

Sæc. XVII.
A. C. 1651.

Sæc. XVII. edito in fide & obsequio erga Neburgicum Ducem persisterent: ipse etiam A. C. 1651. Dux adversus Brandenburgici querelas sua jura promulgato edito vindicavit; ac suppetiis a Leopoldo Archiduce, Lotharingio, & Cæsare obtentis militem suum adversus Brandenburgicos eduxit. Jamjam crebris utrinque velitationibus dimicatum, cum vicini Principes per suos Legatos, ac præcipue Imperator per Melchiorem Comitem Hatzfeldium & Joannem Annetanum Consiliarium habitis Cliviæ colloquiis die undecima Octobris pacem redderent, his legibus. I. Diffidium circa Religionem per Monasteriensem Episcopum & Brunsvicensem Ducem dirimatur, si vero conveniri haud poterit, Imperator in proximis comitiis litem per utriusque Religionis arbitros definiat. II. Interim omnia tam Politica quam Sacra in pristinum statum, quo ante hos motus erant, restituantur salvis utrinque transactionibus. III. Neuter alterum bello premat, sed controversias aut amice componat, vel ad judicialem sententiam remittat, absque præjudicio eorum, qui successionem Juliacensem prætendunt. His utrinque firmatis arma fuere posita.

§. CXVI.

*Diversorum Principum obitus.*Sæc. XVII.
A. C. 1651.

Hic idem annus, qui Polonis ob cæ-
 sos Tartaros & Cosakos, occupa-
 tamque Kioviam, aliasque Urbes fau-
 sissimus erat, Casimiro Poloniæ Regi
 ingens mæroris argumentum exstitit;
 cum enim ejus Soror Anna Catharina
 Constantia, quæ motuum Brandebur-
 gicorum initio jamjam Düffeldorpio
 Coloniam secesserat, reddita pace Ma-
 rito Principi die octava Octobris obviam
 iret, manuque prehensum in Aulam
 deduceret, repentino animi deliquio
 obruta in terram collapsa, postridie non
 sine maximo Principis, omniumque
 Aulicorum luctu ex hac vita excessit,
 Düffeldorpii sepulta. Insuper nondum
 Monachii festiva absolvebatur pompa
 ob felix, faustumque connubium inter
 Ferdinandum Mariam Baviaræ Electo-
 ris Filium, & Adelaidem Sabaudia
 Ducis Sororem contractum, cum Ma-
 ximilianus Parens Ingolstadii anno æ-
 tatis suæ septuagesimo octavo die vi-
 gesima septima Septembris animam
 placidissime Creatori suo redderet. Prin-
 ceptus erat ex æquo Religiosus & pru-
 dens, sui ævi Salomon dictus: eminuit
 in adversis constantia, in arduis for-
 Hist. Eccles. Tom. LXI. Eee titu-

Adlcr. An-
nal. Boic.
p. 3. l. 34.
Pufend. de
bello Sueeico.

Sæc. XVII. titudine, in prosperis æquanimitate.
 A. C. 1651. Superabat exteros omnes Germaniæ
 Principes immoto Religionis Catho-
 licæ studio, quo incitatus non modo
 plures Basilicas & aut Tempia funditus
 extruxit, aut a ruinis & vetustate repa-
 ravit, pluraque Monasteria Regiis pror-
 sus sumptibus erexit, sed etiam apud
 Anglos, Indos & Sinenses profusa li-
 beralitate Missiones instituit, fidem Ca-
 tholicam in Bavaria adversus hæreti-
 corum insidias sartam servavit, ipsam-
 que Donawertham orthodoxæ Reli-
 gioni restituit.

Obiit hoc item anno Aloysius Con-
 tarenus Venetæ Reipublicæ ad Otto-
 manicam Aulam, variosque Europæ
 Principes ac nuper in Germaniam ad
 Westphalicam pacificationem Legatus
 ac Mediator decretus. Decessit pari-
 ter die octava Augusti Amalia Elisa-
 betha Guilielmi V. Hassiæ Landgravii
 vidua, quæ a Cæsaris obsequio defi-
 ciens, auro coemptum obsequium Gal-
 lo-Suecis præstitit, atque in bellico-
 rum sumptuum compensationem pro
 suo Filio Guilielmo VI. præter Hirsch-
 feldensem Principatum sexies centena
 thalerorum millia extorsit.

Sæc. XVII.
A. C. 1651.

§. CXVII.

Joannis Jacobi Panciroli Cardinalis extrema.

Nonnisi duos ex Purpuratis, qui hoc anno obiire, reperio, quorum primus erat Joannes Jacobus Pancirolus patria Romanus, qui utriusque jurisprudentiæ Doctor Joanni Baptistæ Pamphilio tum Rotæ Romanæ Auditori, necnon Julio Saccheto operam suam locabat, ob morum elegantiam, ac versatile quamcunque in partem ingenium ab utroque maximi habitus: Fungebatur etiam Auditoris munere in Neapolitana & Hispana Legatione, quam idem Pamphilius obibat. Inde Romam reversus, ab Urbano VIII. Sedis Apostolicæ Nuntius Mediolanum decernebatur, ubi inter Italiæ Principes, quorum animi in bella ardebant, pacem restituit, atque in prosperi laboris præmium in Rotæ Auditorem, Patriarcham Constantinopolitanum, & Cardinalem ab eodem Pontifice nominatus est: Defuncto Urbano cum Cardinalibus conclave ingressus, Sacchetti electionem promovere, toto studio nitebatur, eo autem excluso, vela in Pamphilium vertit, miraque dexteritate Antonium Barberinum Pamphilio conciliavit, atque

*Guald. in
Theatr. Vir.
Illust.*

Sec. XVII. ab eodem in Pontificem assumpto maximis honoribus, & dignitatibus augebatur, summaque apud eundem Pontificem Innocentium X. potentia & auctoritate usque ad obitus sui diem valebat, quamvis infelix Franciscus Mascambrunus Pro-Datarius nefandis suis artibus haud pepercisset, ut eundem Innocentio, incassum licet, exosum redderet: Commendatur Pancirolus præcipue ex eo, quod a sordida avaritia, aurique cupiditate alienissimus, semper aspernatus esset divitias, quas tamen immensas partim ex Pontificis favore, partim ex publici Secretarii munere, nullo negotio contrahere potuisset. Obiit Romæ in Palatio Pontificio die tertia Septembris annos natus sexaginta quatuor.

§. CXVIII.

Cyriacus Roccius Cardinalis mortuus.

Scot. in Helvet. Ciacon. in vita Urban. VIII. Alter erat Cyriacus Roccius itidem Romanus, qui Theologiæ laurea decoratus a Paulo V. Referendarius, a Gregorio XV. Urbinatis Pro-Legatus, ac demum ab Urbano VIII. Ferrariensis Vice-Legatus, apud Helvetios Patracensis Archiepiscopus, Nuntius Apostolicus ad Ferdinandum II. Cæsarem ac demum Cardinalis renuntiabatur, cuncta

cuncta vero hæc munia, si quæ fuerunt onerosa, mira solertia, & impigro labore, quæ vero honorifica, singulari humilitate obibat, semper sibi æqualis, omnibus comis, & nemini gravis: naturalis quoque ejus probitas peccare nescia cum prudenti & integerrima astutia decertare videbatur, adeo, ut plures illum Urbani Papæ Successorem peroptarent, & prædicarent, tandem vero meritis, annisque plenus, Romæ septuagenarius die vigesima quinta Septembris mortalitatem exiit.

Sæc. XVII.
A. C. 1651.

§. CXIX.

Coloniensis Synodi decreta.

Postquam Maximilianus Henricus Bavarix Dux anno hujus sæculi quadragesimo secundo in Coloniensem, & septimo post anno in Leodiensis Ecclesix Coadjutorem nominatus erat, post Ferdinandi Coloniensis Archiepiscopi Patru sui obitum anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo Archiepiscopus, atque Elector Coloniensis die vigesima quarta Septembris Sacerdotio initiatus est, ac demum octava Octobris die Episcopalis dignitatis sacra suscepit. Sequenti autem anno die vigesima quarta Septembris, Coloniæ Archidiæcesanam celebravit Synodum,

Adlrv. Ann.
nal. Boic.
l. 27. Et 34.
Hartz. Con-
ctl. Germ.

Sæc. XVII. ex cujus decretis notabilia adduce-
A. C. 1651. mus, & primo quidem statutum, ut
 publicæ supplicationes, quarum usus
 & finis commendatur, quidem sæpius
 haberentur, nunquam tamen virgines,
 nisi intra civitatem suam, ad eas invi-
 tentur, nec illæ S. Reliquias, imagi-
 nes, vexilla &c. circumferant, nec e-
 tiam SS. Eucharistia, a Viris curru
 vel equo insidentibus deferatur, longe
 autem ab ejusmodi supplicationibus
 tympana, strepitus profani, choreæ,
 & commessationes arceantur. Prohi-
 bitum quoque sub pœna gravissima, ne
 ullus tabaccum ante Missam vel S. Com-
 munionem ore, naribus, vel fumo su-
 mat. Consultum etiam censet Syno-
 dus, ut Parochi populo denuntient,
 hunc vel illum ad S. Ordinem aspirare
 eo fine, ut si in titulo Patrimoniali fraus
 vel lis, vel circa natales, ætatem aut
 confirmationem vitium aliquod inno-
 tesceret, populus manifestaret, & Pa-
 rochus quandoque populo exponeret,
 quinam a Sacris Canonibus initiari
 prohibeantur.

§. CXX.

*Quædam Sacrarum Congregationum
 decisiones.*

Hoc

Hoc item anno Sacræ Congregatio-
 nes Romanæ pro restauranda di-
 sciplina, abrogandisque corruptelis quæ-
 dam decreta condidere, & quidem die
 vigesima sexta Maij a sacra Episcopo-
 rum Congregatione decisum, Episco-
 pis non licere, ut declararent, quod Re-
 gulares non possint in Paschate sæcula-
 rium confessiones excipere sine licentia
 proprii Parochi, die autem vigesima
 octava Martii Innocentius X. in Con-
 gregatione propagandæ fidei præposita
 decrevit, quod Episcopi præfatæ Con-
 gregationi subordinati non possint exer-
 cere Pontificalia in aliis, præterquam
 in propriis Ecclesiis, etsi esset de con-
 sensu Ordinariorum, dummodo a dicta
 Congregatione non sint in certo loco
 destinati Vicarii Apostolici, seu Admi-
 nistratores alterius cujusdam Ecclesiæ;
 die quoque tertia Junii a Congregatio-
 ne S. Concilii declaratum, quod *Ab-
 bas nullius*, exercens Jurisdictionem
 quasi Episcopalem in locis sibi subjectis,
 possit in iisdem propria auctoritate Pon-
 tificalia exercere, ad formam Privile-
 giorum, Benedictinorum, & non com-
 municantium, denique die vigesima
 ejusdem Mensis S. Immunitatis Con-
 gregatio decidit, quod, qui aliquem
 indebite extrahunt, & loco immuni
 custodes apponunt, sint excommunicati.

Sæc. XVII.
 A. C. 1651.

Decis. Sacr.
 Cong. Episc.
 rit. Concil.
 &c.

Sæc. XVII.
A. C. 1651.

§. CXXI.

*Scriptorum Religione Catholicorum
opera & obitus.*

*Miræus
Script. Sæ-
cul. XVII.
Bayle Diff.
Dupin Bibi.
nou. des
Auth. Eccl.
tom. 16.
Alegamb.
Script. S. J.*

Ex pluribus, qui hoc anno decessere, Scriptoribus Ecclesiasticis celebriores adducere lubet: Hos inter primus occurrit Henricus Chasteignetus de la Roche-Pozay Pictaviensis Episcopus, qui trigesima Julii repentina morte sublatus posteris reliquit commentaria in Genesin, in Evangelia Mathæi, & in Acta Apostolorum, præter synopsis distinctionum Theologicarum. II. Joannes Plantavitius Pausanus, qui antea Calvinianæ sectæ Præco, cognito errore sub annum Domini millesimum sexcentiesimum quartum, ad veram Ecclesiam Romano-Catholicam reversus, Theophilum Nepotem suum postea ad evomendum idem Calvinii venenum permovit, atque in Lutevanum Episcopum in Galliis nominatus, anno ætatis suæ septuagesimo quinto meritis plenus decessit: Scripsit Historiam Episcoporum Lutevensium, Florilegium Biblicum Hebraico-Latinum, Thesaurum Synonymicum Hebræo-Chaldæo-Rabbinicum, & Florilegium Rabbinicum Hebræo-Latinum cum Bibliotheca Rabbinica, præter alia &c. III. Gu-
terius

terius de Carega edidit resolutiones ^{Sæc. XVII.}
 Theologicas & Juridicas, librum de ^{A. C. 1651.}
 fortuna, & de jurisdictione in supremo
 Consilio bellico. IV. Petrus Puteanus
 elucubravit commentaria in Petri Pi-
 thoei librum de libertatibus Ecclesiæ
 Gallicanæ, Historiam damnationis Tem-
 plariorum, Historiam schismatis Ec-
 clesiastici anno 1378. usque ad an. 1418.
 Historiam Pragmaticæ sanctionis Bi-
 turigibus conditæ anno 1439. tracta-
 tum de concordatis Bononiæ inter Leo-
 nem X. & Franciscum I. & controver-
 siam inter Papam, & Imperatorem su-
 per investituris, discussionem quæstio-
 nis, cur Gallia Tridentinum Concilium
 non receperit, & quare sit repudianda
 Cleri Gallicani sententia super hac re?
 scripsit etiam ordinationes Antistitum
 Ecclesiæ, Programa Episcopi Carnu-
 tensis in caussa censuræ de anno 1626.
 præter plura alia. IV. Christophorus
 Fabritius Ord. Servorum B. V. typis
 vulgavit casus conscientiæ. V. Dida-
 cus Colmenares posteris reliquit Histo-
 riam civitatis Segoviensis, compen-
 dium Historiæ Castellanæ, & Histo-
 riam Genealogicam S. Joannis. VI.
 Franciscus Lucius Ortiz Franciscanus,
 qui plusquam centenarius Madriti obiit,
 posterisque reliquit Theologiam Mysti-
 cam, Rempublicam Christianam, tra-

Sæc. XVII A.C. 1651. statum de Principe & Judice Christiano, librum de sacro Amore & Sacerdotio, pluraque alia Ascetica. VII. Carolus Montchal Tolosanus Archiepiscopus, qui Historiam Eusebii plurimum emendavit, & Patrum Græcorum editiones promovit, ediditque vitam Richelii Cardinalis. VIII. Firmius Rainfant Benedictinus ex Congregatione S. Mauri edidit volumen meditationum Christianarum ad singulos dies totius anni. IX. Joannes Dartis edidit commentarium in Decretum Gratiani, tractatus de Conciliis, de Pœnitentia, Eucharistia, & Beneficiis, præter commentarium in Decretales, & tractatum de antiquo usu Ecclesiæ ab Apostolorum ætate: X. Georgius Stengelius e Societate scripsit Rete Catholicum, dissertationem de laqueis Pontificiis necnon Valetudinarium Musis erectum contra Reihingum ex Jesuita Apostatam, novam S. Scripturæ lineam, Honorarium hæreticorum, Anti-tortorem Bellarminianum, Indicem hæreticorum hujus temporis, tractatum de duobus Apostatis, pluraque alia potissimum Polemica atque Exegetica. XI. Nicolaus Caufinus itidem Jesuita, qui Ludovico XIII. Galliarum Regi a confessionibus, scripsit Aulam Sanctam, tractatus de Regno & Domo Dei, de
elo-

eloquentia sacra, & de symbolica Ægy- Sæc. XVII.
 ptiorum sapientia. XII. Mauritius de A. C. 1651.
 Gregorio Ord. FF. Prædicatorum, qui
 vulgavit anatomiam totius Bibliæ, con-
 troversias hæreticales, tractatum de
 auxiliis, commentarios Laconicos in
 libros sententiarum, & quatuor libros
 contra gentiles præter plura paræne-
 tica, & Canonica. XIII. Timotheus
 de Pimental Carmelita edidit commen-
 taria in epistolam S. Pauli ad Timo-
 theum, Collegium Regale Christi, Fun-
 dam Davidis contra Judæos præter
 plurimos sermones.

§. CXXII.

*Scriptores Acatholici hoc anno de-
 functi.*

Paucos ex Scriptoribus Acatholicis *Freher*
 huc adducere operæ pretium est; *Theatr. p. 1.*
 hos inter apud suos celebratur Chri- *Secl. 3.*
 stianus Mathias, qui edidit Historiam
 Patriarcharum, theatrum Historicum
 de IV. Monarchiis, delineationem to-
 tius Theologiæ, de Dei existentia, de
 Juce controversiarum & de adora-
 tione Christi. II. Paulus Roberus scri-
 psit elogia matrimonii, disputationes
 Theologicas, variosque sermones. III.
 Petrus Neuderlinus edidit Evangelium
 Lutherano-Catholicum æternum, &
 Cate-

Sæc. XVII. Catechismum minorem. IV. Henricus Scheurlius vulgavit Bibliographiam moralem, Epitomen Theologiæ moralis, & librum de educatione & institutione juventutis præter Philosophiam moralem.

§. CXXIII.

Turcæ a Venetis navali prælio casti.

Nani Hist. Venet. l. 5. Pufend. Introd. a l'hist. Univ. l. 2. cap. 3.

Interea Turcæ nupera clade prostrata classem suam novo navigiorum numero augere nitebantur, nec segnius Venetæ classis Architalassus Ludovicus Leonardus Mocenigo cum viginti quatuor triremibus, multisque aliis majoris molis navibus Cytheram contendit, ac die septima Julii revulsis anchoris ad Insulam sanctæ Helenæ vela fecit, ubi Turcica classis super Oceanum præsto fuerat: mox igitur Mocenigus connitentibus indefesso lacertorum motu servitiis propulsam remis classem suam Francisci Barbari & Josephi Delphini navibus conjungere festinat, nocturnumque omnem nautarum remigumque laborem in colligendis navigiis vento dissipatis absunit. Altera die, cum sol purpureo radio sensim magis crebescens clarius longe validioris hostis conspectum discrimenque commonstraret, quatuor naves explora-

ploratum emisit, quæ hostilem classem inter Siphuum & Policandram Insulam defixis adhuc anchoris torpere nuntiabant: Illico Mocenigus naves suas in ordines, stationesque suas distribuit, cunctique victoriæ fiducia excitati ductorum imperia cum novis animis accipiunt, ad omnem strenue gerendæ rei dexteritatem intentis mentibus. Præprimis autem Mocenigus cum prætoriam in quamdam Turcarum navim invehitur, illamque ad proram illisa pro-
 ra concutit, exoneratisque tormentis curtilibus quasdam hostiles naves lacerat, alias dissipat, inflictoque multo vulnere gregarios milites, & Tribunos, ipsumque Natoliensem Bassam conficit: mox altera die ambo Mocenigi, cum plures Turcarum naves aequatum exiisse comperirent, omni Remigum adnifu alterum in reliquam classem impetum urgent: verum Turcicarum identidem recentium navigiorum affluxu, numeroque superati fuissent, nisi Franciscus Morosinus in opem accurrens, & cum classe sua obliquum tenens iter, in latus hosticarum navium feliciter impigisset. Tum vero tam densam globorum, flammæ, catenarum, clavorumque tempestatem in Trucicam Prætoriam effudere Veneti, ut disrupta puppi, multisque Ottomanis qua cælis,
 qua

Sæc. XVII.
 A. C. 1651.

Sæc. XVII.
A. C. 1651.

qua faucibus ipsemet Mazzamamma Bassa incassum suorum opem implorans, tandem propudiosa fuga sese longius in altum auferre cogebatur, ejus exemplum sequentibus ceteris navibus. Haud magis prospero successu Turcæ sinistram Venetorum aliam impetebant, quamvis enim ipsis auster secundior, quam Venetis affluxisset, nihilominus ad solum Mocenigi conspectum tam præcipiti fuga sese subdixerunt, ut nec Venetorum nautarum convitia, exprobrationes, & sibi nec militum clamores fugientium ignaviam stimulare possent: Ne vero in tuto positi animos, sui que colligendi spatium resumerent, omnes Venetæ classis ductores junctis viribus residuas hostium naves adorti sunt, earumque plusquam triginta aut incenderunt, aut lacerarunt, totamque classem in suam redegerunt potestatem, nisi ingruentes noctis tenebræ fugitivos insequendi aviditatem refrænassent. Cecidere Turcarum plusquam tria millia, capti mille quingenti, ac præter optimam prædam ex Christianis ferme omnes in libertatem asserti. Parta hac victoria Bellicæ Veneti tria majoris molis navigia recens capta, atque centum octoginta hostilibus belli tormentis instructa

structa unacum capto Nicolao Nata- Sæc. XVII.
 lino, qui per summam perfidiam Deo, A. C. 1651.
 Religioni, & patriæ suæ infidelis ad
 Turcas defecerat, Venetias transmi-
 sere, ubi accepto tantæ felicitatis
 nuntio Dux Venetus Deo solemnem
 omnium Ordinum gratulationem, in-
 dictis publicis precibus ob relatam de
 hoste victoriam decrevit. Sequenti
 anno Hispaniarum Rex ad profequen-
 dum hoc bellum centies octoginta sex
 Ducatorum millia, & Parmensis Dux
 duo armatorum millia Venetis sub-
 misere, ceteris Principibus præter
 summum Pontificem & Melitenses E-
 quites propriam indigentiam aut ob-
 tendentibus, aut nonnisi exigua
 suppeditantibus auxilia.

